NRC
Harless

Praemium III^{tium} Class. II^{dae} sect. II^{dae}

Carolus Hippmann, qui, ingenio felici praeditus, laudanda diligentia bonisque moribus inter ceteros excelluit condiscipulos, dignissimus hoc praemio est judicatus. Id quod testamur Rastadii mense Septembri anni 1828.

F. J. Feldbausch
Prof.

Loritz J. L.

(Harless)

NRC

Lineamenta

historiae Graecorum ac Romanorum litterariae

scholarum in usum

exposuit

Hermannus Harless,

Ph. Dr. Gymnasii Fridericiani Herfordensis Vicerector.

Lemgoviae.

Sumtibus Meyerianis.

1827.

Viro

excellentissimo et illustrissimo

libero baroni

ab Altenstein

Augustissimi Borussorum Regis

a consiliis secretioribus et administrationis rei publicae ministro res ecclesiasticas scholasticas et medicas in civitate borussica moderanti rell. rell.

hunc libellum

summae venerationis gratissimique animi testem

d. d. d.

Hermannus Harless.

Praemonenda.

Litterarum Graecarum et Romanarum historiam ut primi ordinis ludi nostri discipulis enarrarem quum ante hos quatuor annos, et quod excurrit, officium mihi esset impositum premererque non nulla temporis praefixi angustia (erat autem binis per hebdomadem horis annuus totius palaestrae cursus absolvendus), nil magis in desiderio habebam, quam ut mihi liceret libro quodam discipulorum in manus tradendo uti tamquam altero magistro, recitationis adjutore. Et eum quidem librum, qui votis meis omnino satisfaceret, tum frustra quaerebam. Etenim Avi pie defuncti, cujus ex animo meo numquam discedet memoria, breviores notitiae tum prolixiores videbantur, tum ei, quod nunc est, institutionis publicae generi et ingenio minus aptae; Eschenburgii breviarium ne in novissima quidem editione inveteratis maculis est liberatum; Sachsius juvenum commodo singulari quadam dispositione prospecturus vix satis se accommodavit illorum menti, ut reticeam, quantum in singulis interdum sit lapsus; de Fuhrmanno quid sit statuendum, neminem fugit. Restat

igitur, quum Wolfii, Passovii, Creuzeri *schedae alio consilio sint conscriptae, verbum addere de* Matthiaeo *et* Schaaffio. *Quorum quidem alter princeps exstitit dux et causae patronus eorum, qui litteras Graecorum Romanorumque non ita censeant exponendas, ut digerantur et dividantur secundum certas artium et disciplinarum species, ubique significato origine atque incremento, quantum licet per litterarum naturam, sed ut sola ratione temporis habita singuli scriptores eo enumerentur ordine, quo unusquisque collocatur serie annorum aetatisque continua. His respondere quod supersedeo, factum est* Passovii *doctrina, qui hac de re luculenter egit in* Jahnii *mei Annal. rei philol. et paedag. Vol. I. fasc.* 1. *p.* 140 — 146. Schaaffius *autem licet satis laudandus, quod tum scitae dispositionis tum probi delectus tum diligentiae in vitandis erroribus haud vulgarem gessit curam, ut a juvenum oculis longius removit effigiem accuratam ac plenam totius antiquitatis humanitate cultae discindendo in plures particulas, quum litteras Graecas per sex, Romanas per quinque aetates diduxerit, ita est, ubi et in scriptorum vita describenda nimiae studeat brevitati, et in judicio ferendo a sobria cautione declinet. Cui rei calculum imponit, quod quae inde a proximis sex septemve annis aut in ipsa veterum cultus, habitus, rationis investigatione, aut in scriptorum recognitione et interpretatione sunt praestita, eum tulerunt fructum, qui in historiam litterarum non nisi magno cum ornamento potuerit redundare.*

Quare accinxi me ad ejusmodi librum conficiendum, qui cum severiore ratione ac divisione connecteret rerum facilium, juvenili animo

idonearum capita selecta, cum contractiore per quatuor aetates descriptione, quam Matthiaeo debitam gratus profiteor, eam expositionis copiam, qua magistro vel summa temporis penuria laboranti concederetur, ut adolescentibus provectioribus et ad altiora studia aggressuris doctrinae illius aperiat fontes et aditum, quae cur et quomodo sit patefacienda satis a me demonstratum puto in Commentatione de historia Graecorum et Romanorum in scholis docenda, Herford. (Lemgov. Meyer. in comm.) 1825. 4., tum quidem non recordante, in eandem sententiam Wyttenbachium quoque fuisse ingressum, F. A. Wolfium non aliter sensisse.

In illo labore peragendo me praeter ea, quae Fabricius, Passovius, Mohnikius, Groddeckius, Wachlerus, Schoellius, Krebsius et b. Avus suppeditarunt, liberalem in modum iis esse adjutum, quae Sigismundus Imanuel, Gymnasii Mindensis Director meritissimus, e schedulis suis larga manu communicavit, gratissimo animo non possum non publice praedicare. Sed studendum erat brevitati ac concinnitati, nec minimum igitur officium in electione positum. Quam equidem ita instituendam censui, ut e tam crebro scriptorum proventu eos potissimum seligerem, qui aliquam saltem artium disciplinarumve partem prospere coluerint, omissis, quorum non modo nulla suppeterent opera, sed ne honorificentior quidem apud veteres mentio. Addidi haud raro ipsam locorum notationem, quibus veteres de scriptoris alicujus vita retulerunt, de scriptis judicium pronunciarunt, quaedam ad interiorem cum aliquo notitiam contrahendam spectantia

suppeditarunt, eo potissimum consilio, ut juvenum commodo prospicerem in pensis hujus generis elaborandis vires exercentium, sed hic quoque parco calamo et omissis recentiorum commentariis, ne tales proferrem libros, qui alumnis nostris minus essent comparabiles. Ita etiam in editionibus et translationibus recensendis optima quaeque, non solum recentissima, deligere constitui, ut non multa sed multum darem, quidquid simul ad historiam rei litterariae nostris in terris inde ab inventa typographia intelligendam illinc peti possit, nequaquam praetermissurus. Asterisco notavi eas editiones, quae aut notis scholarum in usum conscriptis essent instructae aut, si notis omnino carerent, quas compendiarias plerumque dicunt, ob textum castigatum et parvo pretio parabilem adolescentium in manus tradi possent.

Quibus in partibus operis quam arduum sit et plane ἀδύνατον, omnibus placere, neminem praeterierit; quanta laboret difficultate, vel modicam explere exspectationem, ipse dudum cognovi, qui incassum saepe dolui nimiam, quo premebar, librorum penuriam, nimis heu remotus a lautiore quovis doctrinae apparatu. Eo magis autem a justis aequisque judicibus veniam me impetraturum spero et, ubi falsus sim, verecundam monitionem, idque non dubitans, quin hic qualiscunque libellus in eorum manus sit venturus, quibus pariter cordi est, ut patriae Germanicae juventus e scholis prodeat mente et animo sanissima simulque antiquitatis doctrina et exemplo ad divina quaeque toto pectore incensa.

Scr. Herfordiae, mense Augusto
MDCCCXXVII.

Index capitum.

Historia Litterarum Graecarum.

Aetas secunda Ol. LX — CXI. 540 - 336.

Aetas tertia Ol. CXI — a. 117. p. Chr.

*) Vide Corrigenda.

Historia litterarum Romanarum.

Aetas tertia 14 — 138 p. Chr.

Aetas quarta 138 — 476 p. Chr.

Historia Litterarum Graecarum.

Prooemium.

§. 1.

De litterarum historiae natura.

Populorum *litterae* in universum comprehendunt totum culturae animi, humanitatis, eruditionis et doctrinae complexum, quatenus scientiae et artis operibus declaratur; *litterarum* igitur gentis cujusdam *historiam* eam significamus, qua, quid ab illa in doctrinae et artis cultu praestitum sit et monumentis asservatis comprobetur, ratione temporis habita enarratur. Discernunt inter *externam*, quae agit de scriptorum vita et scriptis, de librorum editionibus et fatis, et *internam*, quae caussas, nexum et ordinem quum universae ingenii conformationis tum singularum litterarum et artium exponit.

§. 2.

De litterarum Graecarum et Romanarum principatu.

Perfectiorem litterarum imaginem nullam novimus, quam quae effingitur e Graecorum et Romanorum scriptis,

ut duo isti, quos *classicos* appellant, populi ut a nullo antiquioris aetatis, ita vix ab ullo nostri aevi ingenio et sensu et humanitate superentur. Litterarum cultus simul *aliunde non petitus* originem duxit ab ipsa illorum indole ac naturam suam servavit; nulla fere ne remotissimae quidem scientiae pars jacet neglecta; *quaeque inter se arcte cohaerent.* Quamobrem et omnes omnium temporum viri litterarum cultores Graecos et Romanos exemplum sibi imitandum proposuerunt pergentque proponere.

§. 3.

De Graecarum litterarum indole ac natura.

Non solum ratione temporis habita Romanis priores sunt Graeci, verum etiam cultu longius latiusque divulgato, in singulis magis congruente et politiore multum praestant; ita litterae quoque Graecorum principatum tenent *ob naturam ab omni fuco et candore mutuato alienam, ob animum, quem spirant, ad scrutandum acerrime reconditos doctrinae fontes aptiorem et liberiorem, denique ob majorem recte scribendi rationis ac castigatae orationis curam.* Qua in re haud parum illis commodo fuit, quod lingua utebantur, diversissimis cogitatorum sensuumque formis Romanam mirum quantum superante.

§. 4.

Historia litterarum Graecarum per aetates descripta.

Convenientissimum sane fuerit et ad perlustrandum totum orbem aptissimum, in *quatuor* aetates dividere litterarum Graecarum historiam, quarum *prima* incipit *ab antiquissimis temporibus* et pergit usque *ad excultam Athenis solutam orationem,* Pisistrato tyranno, circa Olymp. LX. (540. a. Ch.), *secunda* complectitur *litterarum florem* usque ad Alexandri M. aetatem (Ol. CXI. 336. a. Chr.), *tertia* continet historiam doctrinarum studii, apud Alexandrinos propagati, usque ad Hadrianum imp. (117. p. Chr.), quarta explicat litterarum defectum et interitum post Constantini M. saeculum.

§. 5.

De subsidiis ad historiam litt. Graec. probe cognoscendam.

Inter veteres tanquam *fontes* elucent *Dionysii Halicarnassensis* scripta rhetorica, *Strabo*, *Plutarchus* passim, *Diogenes Laertius*, *Athenaeus*, *Johannes Stobaeus*, *Photius*, *Ciceronis* varia philosophica et rhetorica, *Quintiliani* institutionum liber X., *Aulus Gellius*. Inter recentiores maxime commendantur *Jo. Alb. Fabricii* Bibliotheca Graeca, ed. IV. cur. *Gottl. Chph. Harless.* Hamb. 1791 - 1809. XII. voll. 4. (non absol.) *G. Chr. Harless* Introductio in hist. linguae gr. Altb. 1792 - 1795. II. voll. 8. *Ejusdem* supplementa, Jenae 1804 - 1806. II. 8. **Ej.* brevior notitia litterat. gr. in us. schol. Lips. 1812. 8. *Gfr. Ern. Groddeck* initia historiae Graecor. litterariae. Viln. 1821. 1822. II. 8. *Fr. Schoell* „histoire de la litterature Grecque profane". Paris. 1823 - 1825. VIII. 8. *Gtl. Chr. Fr. Mohnike*, „Geschichte der Litt. der Gr. u. Röm. I. Bd. Greifsw. 1813. 8." * *Aug. Matthiae* „Grundriss der Gesch. d. gr. u. röm. Litt. 2. umgearb. Aufl. Jena, 1822. 8." *Ludov. Wachler* „Handb. d. Gesch. d. alten Litt." Tom. I. libri inscr. „Handb. d. Gesch. d. Litt. 2te Umarb. Frankf. 1822 - 1824. IV. 8." *Frc. Passow* „Grundzüge der gr. u. röm. Litteraturgesch. für akadem. Vorles. Berlin, 1816. 4." (* *Schaaff*, *Eschenburg*.) De singulis partibus cf. *Fried. a Schlegel* „Gesch. d. Poesie der Gr. u. Röm. I. Bd. Berl. 1798." *Aug. Guil. a Schlegel* „Vorlesungen über dram. Kunst u. Litt. 2te Aufl. Heidelb. 1817. III. 8." Adde librum utilissimum, „Nachträge zu Sulzer's Theorie etc. 6 Bde. Lpz. 1792 - 1808. 8." et multa egregia in *Erschii* et *Gruberi* Encyclopaedia germ.

§. 6.

De Graecorum lingua.

Ad seriora usque tempora quum inter Graecos non una eademque communis cujusque stirpis lingua esset, quae scriptorum usui inserviret, sed plures dialecti, paulatim ex primitiva quadam ortae, fieri non potuit; quin exinde magnum nasceretur linguae commodum. Quumque antiquissimae illae, *jonica* et *dorica*, et quae ipsis co-

met facta est, *aeolica*, poetis maxime placuissent, jonica epicis, jambographis, elegis, lyricis dorica et aeolica, solutae orationis scriptores et fabularum inventores cum *attica* familiaritatem contraxerunt, a jonica recentiore profecta, quae quidem procedente tempore regnare coepit ceterisque superatis principatum tenuit, usque dum, at sero tamen, *hellenistica* (κοινὴ) superior discessit, mox in *alexandrinam* et *macedonicam* depravata. (Cf. scr. Gregorii Corinth., Henr. Stephani, Maittarii, Sturzii et al.)

Aetas prima.

Ab initio usque ad Olymp. LX. s. 540. a. Chr.

§. 7.

De originibus Graecorum fabulosis.

Unde radices suos ceperit Graecorum gentis primaeva natura, e fabulis tantum diu ore traditis eruere licet. Proxime ad veritatem accedere videtur narratio de immigratione ex Asia facta, ita tamen, ut primos incolas per aliquod tempus nexu et societate expertes, quin, Thucydide teste, rudes et prorsus incultos fuisse appareat. Nonnulla quidem vitae cultioris vestigia in Graecia septentrionali occurrunt; primam plurium stirpium conjunctionem et consociationem in Peloponneso et Macedonia invenimus. Antiquissimum *Pelasgorum* nomen, a. 1800. a. Ch. Inacho duce Graeciam inhabitantium, quos civitatem Argolicam et Sicyonicam constituisse et septentrionem versus Atticam et Thessaliam obtinuisse dicunt, advenas significat ab aquilone ingressos. Quibuscum coloni congregantur diversis regionibus ingressi, Aegyptii Cecrope et Danao, Libyi Cadmo, Phrygii Pelope ducibus. Mox Pelasgis oppressis quoquoversus sparguntur *Hellenes* (Dores) saec. XVI. a. Ch. (Hellen, Deucalionis filius). Ab Jone Jonia, ab Achaeo Achaia nomen trahit.

§. 8.

Thracia. Oracula. Mysteria. Primi vates.

In Thracia dubium non est quin prima vitae cultioris rudimenta edantur, colligata quasi manu primos pietatis erga Deos motus comitantia, montium sacrorum adspectu, quos Deorum sedes crederent, excitatae. Hinc petitur *oraculorum* et *mysteriorum* origo (cf. Hom. Il. IX. 404. XVI. 233. Od. VIII. 80.); hic *vates* carmina pangere incipiunt, in laudem Deorum composita, canuntque consociata fidium sonis et saltatione. Hic denique

inter alia nomina fabularum nebulis obducta emicant *Orpheus*, *Linus*, *Eumolpus*, *Thamyris*, *Musaeus*.

§. 9.

Orpheus.

Quanta remotissimae antiquitatis caligine oppleta sit *Orphei* vita, jam colligitur e verbis Aeschyli (Agam. 1638) et Pindari (Pyth. IV. 313. cll. Eurip. Alc. 367. Iph. Taur. 1211. Med. 543.). Nec defuerunt mirae fabulae, quae memoriam ejus late propagarint in vulgus. Vivens tempore Argonautarum expeditionis ipse in illorum numero erat. Scribendi vero artem quum et ei et aequalibus ignotam fuisse dubitari nequeat, ipsius quidem nomen quod jure suo ferat, nil fere habemus; quae enim *Orphica* inscribuntur, serioris (Onomacriti?) aetatis nota insignita sunt. (*Argonautica*, *Hymni*, *Lithica* s. *de lapidibus*.)

Ed. princ. Argon. et hymn. Florent. apud Juntam. 1500. 4. c. Lith. Venet. ap. Ald. 1517. 8. Orphica ed. *Henr. Stephan.* in: Poet. graec. princip. Par. 1566. fol. *). *J. Matth. Gesner* et Chph. *Hamberger.* Lps. 1764. 8. *Gdfr. Hermann.* Lps. 1805. 8. Argon. *Jo. Gttl. Schneider.* Jen. 1803. 8. de lap. *Th. Tyrwhitt.* Lond. 1781. 8. hymn. gr. et lat. *Jos. Scaliger.* Lugd. Bat. 1516. 12. Argon. german. vertit *Jo. Henr. Voss* c. Hesiodo. Heidelb. 1806. 8. (De aetate Orph. v. *Fr. Jacobs* in *Ukerti* Geogr. Graec. et Rom. II. p. 351. *Raumeri* recitatt. de hist. antiq. II. p. 158. *Hermann*, *Bode.*)

§. 10.

Alii quidam poetae mythici. Musaeus. Sibyllina.

De *Lino*, *Thamyride* (Hom. Il. II. 595.) et *Eumolpo* non minus oscitanter judicamus quam de *Oleno*, *Pampho*, *Amphione*, aliis. Linum (cf. Il. XVIII. 570.) fidibus primum cecinisse, Pamphum hymnos condidisse,

---

*) Ut semel dicam, continet haec collectio aestimabilis praeter Orphica *Homerum*, *Hesiodum*, *Callimachum*, *Aratum*, *Nicandrum*, *Theocritum*, *Moschum*, *Bionem*, *Dionysium Perieget.*, *Coluthum*, *Tryphiodorum*, *Musaeum*, *Theognidem*, *Phocylidem*, *Pythagoram*, *Solonem*, *Tyrtaeum*, *Rhianum*, *Naumachium*, *Panyasin*, *Euphorionem*, *Antimachum*, *Linum*, *Mimnermum*.

Eumolpum *Musaei* filium fuisse tradunt, Orpheo aetate supparis, quem auctorem profitentur carminis *de Herus et Leandri amoribus* haud inconditi et vere elegantis, quod tamen quinto demum aut sexto p. Ch. saeculo a Grammatico quodam factum augurari licet. —. Ita etiam *Sibyllinorum oraculorum* ll. VIII hexametris versibus conscripti cum decimo quarto nuper invento maximam partem poetarum Christianorum ingenium sapiunt.

Mus. ed. pr. Venet. Ald. 1517. *Jo. Schrader.* Leovard. 1742. 8. repet. *G. H. Schaefer.* Lps. 1825. 8. *C. Fr. Heinrich.* Hannov. 1793. 8. gr. et germ. *Fr. Passow.* Lps. 1810. 8. * gr. *Ant. Moebius.* Hal. 1814. 8. — Sibyll. or. ed. pr. *Xysti Betuleji.* Bas. 1545. 8. *Servat. Gallaeus.* Amst. 1689. 4. lib. XIV. pr. ed. *Ang. Majus.* Mediol. 1817. 8. (Thorlacius.)

I. Poesis epica.

§. 11.

Homerus.

Longo post fundamenta artium in Thracia posita intervallo laetissime in Asia Minore effloret poeticae studium, cui ansam praebet bellum *Trojanum* ab universo Graecorum populo in commune honoris pretium susceptum. Hinc exortis in Jonia vatum quibusdam scholis, *Homeri* et *Homeridarum* nomen inclarescere coepit saec. X. a. Ch. Homeri arte poesis *epica* egregium edidit divinae indolis documentum, quamquam tirocinium jam antea posuisse vix dubites. In illa conspicimus notitiam deorum in scientiae formam redactam, miramur argumenti perfectam divisionem et expositionem, extollimus hexametri mensuram cummaxime numerosam et festivam. Occurrunt civitates imperii lege obstrictae, reges et principes; at omnia simplici vitae naturalis candore obducta.

§. 12.

De eodem.

De vita *Homeri* lis adhuc sub judice est. Ad numerum testium tum veterum tum recentiorum si spectaveris, unum quendam eundemque solum, Homerum dico, composuisse duo illa divina carmina, *Iliadem* et *Odysseam*, facile credideris, qui circa a. 1000. a. Ch.

vixisse et plurimorum consensu in insula Chio natus esse traditur. (cf. hymn. in Apoll. 173. Thucyd. III. 104.) Ratione vero habita et interioris illorum operum naturae, et serioris scripturae inventionis et *rhapsodorum*, qui tum carmina canendo recitabant, consuetudinis habitusque, recte eos judicare censendum, qui singulas easque numero plurimas partes ab uno Homero confectas, alias a *Homeridis*, quos vocant, posthac additas existiment. (Quanquam utriusque carminis certa quadam lege et norma pangendi consilium jam principio fuisse praescriptum videtur.) Rhapsodias autem diu singulas memoriae auxilio recitatas litteris custodiendi initium sero factum. In Graeciam Lycurgi demum aetate (888. a. Ch.) rhapsodos pervenisse, quorum denique carmina inter se nondum conjuncta Pisistratum ejusque filium, Hipparchum (538-510. a. Ch.) colligi (Cic. de or. III. 33.), *Diasceuastarum* ope in certum quendam ordinem redigi, accuratius connecti et duorum continuorum poematum specie induta perscribi jussisse. Iis postea successisse criticos Alexandrinos, inter eos principem Aristarchum, qui textum purissimum constituere et in formam, qua nunc gaudet, incutere studerent. Quod quidem judicium, plerisque probatum, primus tulit *Fridericus Augustus Wolfius* (Prolegg. in Homer. Vol. I. Hal. 1795. 8. Alia, discrepantia partim, monuer. Spohn, Koes, Hug, Ste-Croix, Guil.-Mueller al.)

§. 13.

De eodem.

Utrumque carmen in XXIV rhapsodias divisum, Iliadis quidem argumentum versatur in historia paucorum dierum spatii decimo obsidionis anni peracti, ab Agamemnonis cum Achille contentione usque ad Hectoris funera; Odyssea Ulyssis complectitur reditum in Ithacam, errores per decem annos factos et vindictam ab uxoris procis in patria sumtam. Quae quidem ingenii immortalis monumenta ut veterum fere plurimi immensa prosecuti sunt laude, ita et recentiorum una tantum et consentiente voce in coelum tolluntur ob nativam pulcritudinem, sublimitatem, spiritum prope divinum, admirabilem simplicitatem et dulcedinem, ut imitando exprimi vix ac ne vix quidem, vinci a nullo potuerint. Unum

modo ex veteribus audias eumque arbitrum gravissimum, Quintilianum (de inst. orat. X. 1, 56. seqq.): „Hunc nemo in magnis rebus sublimitate, in parvis proprietate superaverit. Idem laetus ac pressus, jucundus et gravis, tum copia, tum brevitate mirabilis: nec poetica modo, sed oratoria virtute eminentissimus". In Odyssea mores acutius notati, Iliadis actio eminentior. (Aeschylus, Phidias Homeri lectione inspirati.)

Subsidia: Didymi et al. Gramm. Schol. minor. Sch. Villoisoni e commentar. deperd. excerpta ed. *Imman. Bekker.* Berol. 1825. II. 4. *Eustathii* παρεκβολαὶ (Rom. 1542. 49. II. fol. c. indice Devarii 1550. f. Basil. 1560. II. f. comm. ad Od. Lps. 1824. 25. II. 4.) Sch. Ambrosiana et Harleian. conj. ed. *Ph. Buttmann.* Berol. 1821. 8. Lexica *Apollonii* Sophistae (rec. *Herm. Tollius.* Lugd. Bat. 1788. 8.) et alior.

Homeri ed. pr. cur. *Demetr. Chalcondylas.* Florent. 1488. II. f. *Henr. Stephan.* in Poet. graec. princip. Ilias c. schol. *J. Csp. d' Ansse de Villoison.* Venet. 1788. f. *Fr. A. Wolf.* Hal. 1795. * ed. noviss. Il. et. Odyss. Lps. 1817. IV. 8. cur. *Rich. Porsoni.* Oxon. 1800. IV. 4. *Payne-Knight.* Lond. 1820. f. (* ed. compendiar. *Dindorf.* Lps. 1825. ss. IV. 8. Lps. Tauchn. 1827. II. 8.) Il. cur. *Chr. Gottlob. Heynii.* Lps. 1802. VIII. 8. (Indic. ed. *Graefenhan.* 1822. 8.) ed. min. 1804. II. 8. Odyss. c. schol. select. *Car. Baumgarten-Crusius.* Lps. 1822. ssq. VI. pp. in III. voll. (nond. absol.) Il. et Od. germ. vertit *J. Hr. Voss.* e. novss. Stuttg. 1814. IV. 8. (Stollberg, Wolf, Kannegiesser. — Herder, Koeppen, Nitzsch, Spitzner, Hermann, Buttmann, Ukert al.)

§. 14.

C l a u s u l a.

Homeri operibus quanquam triginta duo vulgo annumerantur *hymni*, dubitatur tamen jure, num ea, quam nunc exhibent, forma vera ac germana sint, quum potius *prooemia* videantur ampliorum poematum, partim ipsa e pluribus segmentis conglutinata, partim recentiore aetate composita; tum *Batrachomyomachia* s. Myobatrachomachia, primum parodiae exemplum, in quo ranarum adversus mures rixa exponitur versibus Homericis similibus, *Epigrammata*, fragmenta e *Margite*, rel.

Hymn. c. cet. in edd. Hom. *Wolf. Dind.* cet.; seors. *C. Dv. Ilgen.* Hal. 1796. 8. h. et batr. *A. Matthiae.* Lps. 1808. animadv. ib. 1800. 8. h. et epigr. *Gdfr. Hermann.* Lps. 1806. 8. hymn. in Cerer. *Dv. Ruhnken.* Lugd. B. 1782. 8. (c. epist. crit.) *C. G. Mitscherlich.* Lps. 1787. 8. (Groddeck.)

§. 15.

Poetae cyclici.

A Homero quum tam lautum factum esset initium mythorum, qui tunc omnium in ore vigebant, cantu celebrandorum, fieri non potuit, quin confestim alii succederent. parique decore frui studerent. Et fabularum quidem ille orbis amplificabatur et ad mortem Ulyssis producebatur. Quantumvis vero irata fuerit fortunae invidia, quod tantum non omnes *cyclicorum* qualiumcunque poetarum cantus nobis eripuerit, non ignoramus tamen, fuisse, quorum suavissimae modulationes oblivione inter Graecos deleri haud facile potuerint, *Stasinum* dico (*Aethiopis, Ilii excidium*), *Leschen* (*Ilias parva*), *Pisandrum* (*Heraclea*), *Carcinum* (*Naupactica*), *Eumelum* (*Titanomachia, Corinthiaca.*)

(Cf. *Heynii* excurs. I. ad Virg. Aen. II. *Creuzeri* Histor. Kunst der Gr. *Wolfii* prolegg. Hom. p. CXXVI. ss. *F. Wüllner* de cycl. Monast. 1826. 8.)

II. Hesiodus.

§. 16.

Eodem fere, quo Joniam primum arridet sacer ille Musarum chorus, tempore, nisi paulo serius, nova efflorescit in Graecia vatum familia *Hesiodo* duce, quem Cuma in Aeolide oriundum Ascram Boeotiae migrasse ferunt. (De aetate priore cf. Herod. II. 52. Pausan. IX. 30., posteriore Vellej. Paterc. I. 7.) Carmina ejus etsi ubivis ingenium spirant politum ac limatum, nec tamen ab eodem sunt uno tenore conscripta, nec membratim suppari aevo. Sunt vero: 1. *Theogonia* s. fabularum de Deorum origine generibusque compendium, quamvis non nihil abruptum; 2. *Scutum Herculis* descriptum, fragmentum τῶν Μεγαλῶν Ἠοιῶν poematis epici; 3. *Opera et dies* (ἔργα καὶ ἡμέραι), carmen antiquissimum sane et praestantissimum, tum vivendi praecepta, tum agri colendi rationes, tum monita de astris, navium structura, hujusmodi alia continens, (etiam fabulae Aesopicae primum inest vestigium), quamobrem et hic varia, inter se reluctantia, confusa opinari fas est. Qui vero evenerit, ut jonicam Hesiodus ab Homero mutuaverit dialectum, enucleari nequit. „Raro assurgit Hesiodus, magnaque ejus pars in nominibus est

occupata; tamen utiliter circa praecepta sententiae, levitasque verborum et compositionis probabilis: daturque ei palma in illo medio genere dicendi". (Quintil. X. 1. 52.).

Ed. princ. ἔργα c. Isocr. et Theocr. Mediol. 1493. fol. opp. omn. Venet. Ald. 1495. f. Vict. Trincavell. Venet. 1537. 4. *Th. Robinson.* Oxon. 1737. 4. rep. cur. *C. Fr. Loesner.* Lps. 1778. 8. *Th. Gaisford.* Poet. gr. min. (Ox. 1814. ss. auct. Lps. 1823. V. 8.) Vol. I. II. Theog. *Fr. A. Wolf.* Halae 1783. 8. Scut. Herc. *C. Fr. Heinrich.* Vratisl. 1802. 8. * opp. et dies. *Fr. Aug. Gl. Spohn.* Lps. 1819. 8. *R. Fc. Ph. Brunck* in Gnomic. poet. gr. ed. nov. cur. *Gd. Hr. Schaefer.* Lps. 1817. 8. (* ed. compend. *Dindorf.* Lps. 1825. 12.) Germ. vert. *J. H. Voss.* v. Orph. (Twesten, Thiersch, Creuzer, Hermann, Manso in: Nachträge zu Sulz. III. I.)

III. Poesis elegiaca.

§. 17.

Elegia politica.

Antiquiores civitates, quae antea unius imperio subjectae erant, simul ut in rerumpublicarum formam transierunt, plura etiam ingenii poetici ediderunt monumenta diversae a genere heroico stirpis. Ad sensuum effectuumque adumbrationem magis deflectebat poetarum animus. *E distichis,* juncta primum cum tardiore pentametri ingressu fervidiore versus epici natura, suam sibi *elegi* traxerunt formam. Qui quidem a principio animis ad bellum et pugnam inflammandis se dabant, paulatim ad lyricam et didacticam rationem ducebantur. (Mancum Horatii judicium Art. Poet. 75 - 78.) Elegiae illius prioris, quam *politicam* dixeris, auctor habendus *Callinus,* Ephesi natus, c. Ol. XVI. 2. (Cic. pro Arch. fragm. X. 3. p. 532. ed. Hal. Strabo XIII. p. 901. 930.) quem excipit *Tyrtaeus* Atheniensis, minus recte Milesius dictus. Eum Lacedaemonios in bello secundo Messenico laborantes, auxilio ab Atheniensibus missum, mira vocis et fidium facultate sustentasse et inspirasse narrant. (Paus. IV. 15. 16. Justin. III. 5. Hor. A. P. 402.) Tres ejus integrae servantur elegiae, quum Callini vim poeticam e paucis tantum versibus cognoscere detur. Huc pertinet *Archilochus* quoque Parius (§. 21.)

Call. et *Tyrt.* insunt *J. Val. Franckii* Callino s. de carm. el. orig. Alton. 1817. 8. Tyrt. *C. Ad. Klotz.* Altenb. 1767. 8. in *Brunckii* Gnom., *Gaisford* Poet. min. III. et in edd. Lycurgi ac Stobaei (germ. v. *Chr. Stollberg*, *C. Schneider*, *Passow*. — Boettiger, Fr. Schlegel, Matthiae.)

§. 18.

Elegia sententiosa; erotica.

Ut a Homerico genus Hesiodi magis didacticum, ita ab elegia politica paululum decurrunt *Solonis*, legislatoris Atheniensium, breves sententiae (γνῶμαι), graves, subtiles, severae „ad defendendas res ab ipso gestas, atque ad exhortandos vel vituperandos Athenienses" (Plutarch. Sol. 3. cf. Plat. Tim. p. 21, c.) praecipue ad moderandam vitam, qualis in re publica versatur. Eandem *gnomicam* elegiae naturam scriptis expressit *Theognis* Megarensis c. Ol. L. VIII. (548), qui horreum condidit gnomologicum juventuti ob eximia virtutis, prudentiae, pietatis praecepta maxime commendandum, *elegorum* nomine inscriptum; non permisit tamen temporis iniquitas, ut nobis integro et justo ordine servaretur; cum eo *Phocylides*, Milesius, Theognidi fere suppar, cujus nitidas quasdam sapientiae micas in Florilegio reposuit Johannes Stobaeus. (Spurium est carmen *Νουθετικόν*). Non ejusdem vetustatis comprobatur esse *Pythagorae carmina aurea* vocata, quorum auctorem e Pythagoreis unum, multo post florentem, dicunt. — Ad dulcium amorum desiderii aut satiati aut non expleti varios accentus mollesque de mobilitate cupidinis, fidei, temporis jucunde peracti questus primus elegos accommodasse fertur *Mimnermus* Colophonius, Soloni aequalis.

Iunctim in *Brunckii* et *Gaisf.* libr. laud. (adde Gnom. ed. *J. Fr. Boissonade*. Par. 1823. 12.) *Sol.* quae supersunt ed. *Nic. Bachius*. Bonn. 1825. 8. — *Theogn.* ed. pr. c. Hesiod. ed. *Imm. Bekker*. Lps. 1815. 8. nov. ord. disp. *Fr. Thph. Welcker* Frf. ad M. 1826. 8. Germ. vert. *Guil. E. Weber:* Die elegischen Dichter der Hellenen. Frf. a. M. 1826. II. 8. — *Mimn.* rell. coll. *Bach.* Lps. 1826. 8.

IV. Jambi.

§. 19.

Quemadmodum jam nunc epigrammatis origo ex elegorum genere est repetenda, licet aliquantum tempo-

ris post expoliti et perfecti, ita et in jambicum genus fit transitus, lyricae poesi propius accedens. Et primus quidem *Archilochus* Parius c. Ol. XV. (720. cf. Cic. Tusc. I. 1.) jambum adhibuisse videtur, ut hominum vitia, stultitiam et ignaviam derideret cavillanti et deludenti joco, non minus acri usus dente quam justo artificio. Cujus viri tantae fuerunt in antiquitate laudes, ut vel Homero non dubitarent eum aequiparare frequenterque imitarentur poetae nobilissimi. Praedicantur in eo „summa elocutionis vis, quum validae tum breves vibrantesque sententiae, plurimum sanguinis atque nervorum". (Quint X. 1. 59. cll. Hor. epp. I. 19. 23. A. P. 78. Vellej. Pat. I. 5. Leonid. epigr. IV. 20. Jacobs. delect.) Interdum et fabularum tegumento obstruxit ludibrium. Ajunt autem et ἐπῳδοὺς et alia versuum genera ipsum invenisse. At tristissimam miseramur fere omnium, quae reliquit, paucis exceptis jacturam. Commentum redolet narratio de Lycambe et Neobule (Hor. epod. 6, 13.) — Archilocho successit *Hipponax* Ephesius c. Ol. L. XX. (500.) cui tribuunt Choliambi (σκάζοντος) et parodiae inventum. Tertius, quem canone receperunt Alexandrini, *Simonides* est ex *Amorgo* oriundus, cum Simonide Ceo non confundendus, auctor carminis *de mulieribus* ad irrisionem compositi, cujus saltem partem superesse laetamur. (*Ananias.*)

Archil. rell. coll. *Ign. Liebel.* Lps. 1812. Vienn. 1819. 8. (Huschke.) — *Hippon.* et *Ananiae.* frgm. coll. *F. Th. Welcker.* Gott. 1817. 4. — *Sim.* de mulier. ed. *G. D. Koeler.* Gott. 1781. 8. apud *Brunck.* et *Gaisford.*

V. Poesis lyrica.

§. 20.

Aeolum et Dorum cantus.

Sensus et affectus molliores tenero et alacri cum animi motu carmine exprimendi artem nemo facile melius intellexit, quam coloniarum in Asia Graecarum incolae, inprimis vero *Aeoles* et *Dorii*. Musica et saltu in auxilium vocatis, multiplex versuum pangendorum sese explicuit ratio, qua et varia asmatum genera exorirentur et artificiosior mensura. Longum est diversas eorum enumerare species; discrepare tamen hujus poesis indo-

lem et ad suam patriae cujusque sedis naturam moresque dissidentes effingi per se jam cognoscitur. Jonum enim carmina quum levitate quadam et ingenio hilari, lepido ac petulante conspiciantur, Dores contra cum Aeolibus gravia sonant, ad pulcri honestique sensum cum ardore et constantia tuendum invitant, nobilissimum spiritum strophis studiose constructis exhalant. Antiquioris hujus poeticae chorum duxisse videtur *Alcman* s. *Alcmaeon* Lacedaemonius, c. Ol. XXVIII. (668), Spartae natus parentibus Lydis. Scripsit hymnos, paeanes, carmina amatoria, ejusmodi plura. At inclaruit non minus Lesbica illa trias, *Alcaeus* Mitylenaeus c. Ol. XLIV. (602), qui et armis patriae gloriam augere studuit, (Herod. V. 95. Strabo XIII. p. 917. C.) suum sibi versum struxit, Horatioque exempli instar fuit (v. Od. II. 13. IV. 9. ss. Quintil. X. 1. 63. „Alcaeus in parte operis *aureo plectro* merito donatur, qua tyrannos insectatus multum etiam moribus confert: in eloquendo quoque brevis et magnificus et diligens et plerumque Homero similis: sed in lusus et amores descendit, majoribus tamen aptior"); tum *Sappho*, Scamandronymi filia, (Herod. II. 135.) aequalis et ab Alcaeo amata, quam nonnulli diversam suspicantur ab illa, quae Phaonis amore correpta in mare sese praecipitaverit, et *Erinna* s. *Melinna*, Sapphoni familiaris (v. Antipatr. et Leonid. epigrr. IV. 26. 29. 30. 33. del. Jac.). Illius exstant duo odaria integra, metro Sapphico condita, hujus laudamus nobilissimum in *fortitudinem* hymnum (εἰς τὴν ῥώμην). Alcman *dorica*, Alcaeus cum Sapphone et Erinna *aeolica* dialecto perscripserunt.

Alcm. frgm. coll. *F. Th. Welcker*. Gissae, 1815. 4. — *Alcaei* frg. coll. *Th. Fr. Stange*. Hal. 1810. plenius *C. Jac. Blomfield* in Mus. crit. Cantabr. III. et in *Gaisf.* Poet. min. Vol. III. ed. Lips. (Iacobs in Encycl. univ. Halensi. s. v.) — *Sapph.* ed. *J. Ch. Wolf*. Hamb. 1733. 4. *H. F. M. Volger*. Lps. 1810. Blomf. ll. cc. * *Ant. Moebius* c. Anacr. et *Erinn.* Goth. 1826. 8. (Biblioth. gr. cur. Iacobs. et Rost. Vol. XIX. Poet.; idem gr. et germ. Hannov. 1815. 8. — Welcker de S. Gott. 1817. 8. de Erinn. c. frgm. in Creuzeri Meletemm. II.)

§. 21.

Stesichorus, Ibycus, Jonica.

In Sicilia palmam ceteris praeripiunt *Stesichorus* Himerensis, Phalaridis adversarius, quem ferunt chorum

primum instituisse (Quint. X. 1, 62. Cic. Tusc. IV. 33.) et *Ibycus*, Rhegii natus, c. Ol. LVI. (554) florens (Cic. l. c.). Satis nota gruum fabula. — Fama vere omnes superarunt *Jonica Anacreontis* carmina lepidissima. Is, natione Tejus, floruit intra Ol. L. XII. et LXX. (532-500.) Patria profugus, a Polycrate, Sami tyranno, comiter receptus, multum apud eum gratia valebat. Aliquamdiu Athenis apud Hipparchum commoratus (Herod. VII. 6.), Abderae tandem diem obiit supremum. Amorem spirant et extollunt omnia fere, quae cecinit (Cic. Tusc. l. c. Ovid. Trist. II. 36. 3. Art. am. III. 329. Hor. Od. IV. 9. 9.); sententiae facetae, festivae, jocosae; oratio jucunda, levis; versus mollis, hilaris. Negatur vero, quicquid Anacreontis nomine circumferatur, pari jure ipsum auctorem profiteri, quum vel plurima sint juniorum poetarum, quae jam ingenio et ornatu a germanis dignoscuntur. Τὰ Ἀνακρεόντεια princeps collegit Constantinus Cephalas, saec. X. p. Chr.

Stes. frgm. *J. A. Suchfort.* Gott. 1771. 4. *Blomfield* l. l. VI. Poet. min. *Gaisf.* III. ed. Lps. — *Anacreont.* pr. ed. *Henr. Stephanus.* Paris, 1554. 4. e cod. Vatic. *Jos. Spaletti* e. n. Rom. 1783. f. *R. Fc. Ph. Brunck* e. n. Argent. 1786. 12. (Lps. 1811. * 1817. 12.) *Joh. Fr. Fischer* e. n. Lps. 1793. 8. (*J. F. Boissonade.* Par. 1823. 12.) *Fr. Mehlhorn.* Glog. 1825. 8. * *A. Moebius.* Hal. 1810. 8. et c. Sapph. et Erinn. Goth. 1826. (§. 20.) germ. vt. *C. G. Ramler.* Berol. 1801. 8. (v. Iacobs in Encycl. Hal. s. v. Nachtraege zu Sulzer VI.)

§. 22.

Dithyrambi. Scolia.

Bacchi laudes inprimis celebrabant *dithyrambi*, carmen cyclium i. e. a choro decantatum, comitante mimica saltatione in orbem acta. Ex Oriente in Graeciam delati, priorem habebant Corinthi et Thebis sedem, posteriorem Athenis. Aristoteles (Poet. 4.) dramatis ex iis originem ducit. Inventorem *Arionem* Methymnaeum Lesbiensem, Corinthi civem c. Ol. XXXVIII. (628) Herodotus (I. 23.) dicit. (*Melanippides, Lasus*). — A *Terpandro* Antissae Lesbi nato, barbiti inventione facta (Ol. XXV. 4 - 677) instructa perhibent *Scolia*, cantiunculae ad vitae communis rationem compositae, inter epulas, negotia operaria, diei usum festivum ad lyram vel citharam succentae, interdum uno alteroque praecinente. Referunt plerumque sensa hilaria, ludicra, sup-

presso auctorum nomine. Sed fuerunt etiam, quae altius assurgerent, a lascivo et petulante joco aliena. Quamobrem varia horum carminum distinguebantur genera, quorum id, quod versabatur in celebrando dei alicujus honore, primarium erat (*Παιᾶνες*). Ab ejusmodi deorum encomiis canendi initium factum, concinentibus uno ore omnibus convivis. Differebant ab iis suapte natura, quae vocantur *Πάροινα* s. *παροίνια ᾄσματα*, ludicri argumenti, quibus utebantur convictores ad deinceps certo ordine canendum, et *Κῶμοι* s. cantiunculae, quas juvenes cantabant ad puellarum fores vel in aedibus saltantes tibia modos indicante. Ceterum constant scolia e strophis minoribus, quarum duo priores versus sunt Phalaecei. Ex iis, quae intacta reliquit temporis dens (est autem numerus haud parvus) apprime laudibus extollitur scolion in Harmodium et Aristogitonem, urbis patriae a Pisistratidarum tyrannide liberatores.

Dithyr. frgm. ins. *R. Timkowsky* de dith. Mosqu. 1806. 8. recus. in Actt. Semin. ed. C. D. Beck. Lps. 1811. ss. Vol. I. Scolia c. prolegg. ed. *C. Dv. Ilgen*. Ien. 1798. 8. *Fr. Iacobs* Anthol. gr. (v. §. 70.) Vol. I. Cf. G. Hermanni elem. doctr. metr. p. 694. sq. Germ. multa vert. *Fr. Iacobs* in Tempe s. Vermischt. Schrift. II.

VI. Fabula Aesopica.

§. 23.

Medium inter orationem vinctam ac solutam locum obtinet *fabula Aesopica* (*Ἀπόλογος*), jam mature adulta et ad poliendam vitae publicae et domesticae effigiem non parum faciens. Qui drimus effinxerit, haud facile dixeris, siquidem illius ubique fere tam late patuerit usus, ut certum quendam auctorem vix profiteri possis (cf. Quintil. V. 11.); neque volueris inquirere considerata rei natura. At *Aesopum* Phrygium c. Ol. L. (580) multa contulisse ad divulgandam ejus fabulae imaginem, veri est simile. Vixit is in Samo insula servus; Delphos vero profectus, orta inter eum et cives dissensione, necatus ibi est. (Herod. II. 134. Aristoph. Vesp. 1446. sq.) Perscripsisse fabulas suas non liquet; Augusti demum aetate a *Babrio* quodam singulae sunt collectae et choliambico metro incusae, quo vinculo mox liberabantur. (Planudes).

Ed. pr. CXLIV fab. Accursii. Mediol. s. a. 4. (1479?) ed. auctior Ven. Ald. 1505. fol. (R. Stephan. 1546. 4. Nevelet. Frf. 1610. 8.). *Adamant. Coray.* Par. 1810. 8. aux. *Frnc. de Furia.* Flor. 1809. Lps. 1810. 8. * *C. E. Chph. Schneider.* Lps. 1810. 8. e cod. Aug. *I. Gttl. Schneider.* Vratisl. 1812. 8. * *G. H. Schaefer.* e. n. Lps. 1819. 8. (Iacobs. in Nachtr. z. Sulzer. V. Encycl. Hal.; Grauert.).

VII. Oratio pedestris.

§. 24.

Logographi.

Res antiquissimorum populorum et origines quum perscribi non possent, quoad in tenebris lateret scribendi ars vel deficeret exercitatio, ore traditae in vulgum efferebantur, vel sic tamen historiae fundamento posito. Cui feliciter accedebat *logographorum* industria, oratione quidem soluta, at poetico tamen habitu et ornatu multisque verborum luminibus decorata, enarrationes fabulosas de gentium, urbium familiarumque primordiis exhibentium. Patria gaudent eadem cum Homero, cujus crebro effigiem exprimere student, Milesii tres, *Cadmus*, *Hecataeus* (γενεαλογιαὶ), qui simul geographiae non inutilem navavit operam (περιήγησις τῆς γῆς), *Dionysius*, historiae generalioris auctor; e ceteris potissimum *Acusilaus* Argivus, ob id praeterea memorandus, quod Hesiodi carmina metro liberasse dicitur, *Charon* Lampsacenus, *Hellanicus* Lesbius, *Pherecydes* Lerius praecellunt. Quorum aetas omnium fere incurrit in Ol. LXVI. aut LXVII., desiderantur integra opera.

Hecat. et al. rell. in *Fr. Creuzeri* Historic. antiquiss. fragm. Heidelb. 1806. 8. (*Ukert* de Hecat. geogr. Vimar. 1814. 8.) *Hellan.* fr. c. *Fr. G. Sturz.* ed. alt. Lps. 1826. 8. *Pherec.* et *Acus.* ed. *Sturz.* alt. Lps. 1824. 8. (A. Matthiae de Pher.)

§. 25.

Legislatores et Sapientes.

Artis ingenii monumenta litteris consignandi inventio et facultas publici juris facta quamquam ad orationis pedestris formationem plurimum contulerint, haud parum tamen adjumento fuit, quod praeceptis, sententiis, admonitionibus plebem ad humanitatem conformandam cu-

rarent, primas qui leges ferrent aut res civiles moderarentur. Quas quidem *Lycurgus* (888 a. Chr.) Spartanis, *Dracon* (624) et *Solon* (594) Atheniensibus, *Charondas* Catanensibus, *Zaleucus* (uterque c. 660) Locris constituerunt leges non minus, quam quae septem Graeciae Sapientum (recensent vulgo *Periandrum* Corinthium, *Pittacum* Mitylenaeum, *Thaletem* Milesium, *Solonem*, *Cleobulum* Lindi natum, *Biantem* Prienensem, *Chilonem* Spartanum), continebant monita, ad emendandam praecipue conditionem Graecorum civilem, mores perpoliendos, mentis animique vires collustrandas spectabant, varie jam collocato civitatum statu. (Cic. de or. III. 34.) Nec illis adnumerare dubitamus *Epimenidem* Cretensem. (*Anacharsis* Scytha.)

(Cf. *C. Fr. Heinrich* de Epim. Lps. 1801. 8.)

§. 26.

Philosophia. A. *Jones.*

Ratione partim modo dicta, partim rerum consideratione multiplici, e Deorum cultu petita, postquam philosophiae jam sparsa fuerunt semina, in Asia primum Minore et Italia feliciter ipsa succrevit. Ad severiorem quidem disciplinae formam haec scientia nondum erat exacta, jam tum vero certa in lucem prodibant, aliorum alia, placita et decreta, quae philosophorum *familiis* condendis servirent. Vetustissimarum nomine signantur *Jonica*, *Pythagorica*, *Eleatica*. *Jonum* (Φυσικῶν) autem dux et magister habetur *Thales* c. Ol. XLV. (600) e prisca Telidarum Phoeniciorum stirpe oriundus, illis antegressus perscrutando Deorum naturam, mundi constructionem, corporum coelestium motum, elementorum efficaciam et mixtionem. Aquam ipse rerum principium laudat. Magistri vestigia primi presserunt *Anaximander* et *Anaximenes* Milesius c. Ol. LIV. (560), qui infinitum quoddam et aëra τὴν ἀρχὴν docent (Cic. Acad. II. 37. IV. 37. de nat. Deor. I. 10.), juncto *Pherecyde* Syri cive c. Ol. LVIII. (548) inter orationis solutae parentes claro.

(Cf. *H. Ritter* hist. ph. Ion. Berol. 1820. 8. — hist. ph. Pyth. Hb. 1826. 8. *C. A. Brandis* commentatt. Eleat. p. I. Alton. 1813. 8. Tiedemann.)

§. 27.

B. *Pythagoras.* C. *Eleatici.* — *Epistolographi.*

Crotone *Italicae* sive *Pythagoricae* scholae auctor exstitit *Pythagoras* Samius (Cic. Tusc. V. 4. Justin. XX. 5.) natus Ol. XLIX., vita egressus Ol. LXVIII. fine (584 - 505.). Ex numeris et Mathematicorum initiis omnia orta putat, Deumque esse animum per mundum permeantem ejusque particulas animos nostros; ad harmoniam canere mundum. (Cic. Acad. IV. 37. de nat. D. I. 11. III. 11.) Exceptis iis, quae de animi immortalitate et μετεμψυχώσει statuit, cetera non satis plana, quum ipse nil litteris mandaverit. (§. 18.) Assectatorum vero studia ad vitae morumque rationem magis tendebant. (Μαθηματικοὶ — Ἐξωτερικοί, Ἐσωτερικοί). — Dialectico ut plurimum genere usus *Eleaticorum* agmen duxit *Xenophanes* Colophonius (§. 23.). Unum esse omnia et infinitum cum mente Deum censet. (Cic. Ac. II. 37. N. D. I. 11.). Circa Ol. LXIX. floruit *Heraclitus* Ephesius. — Adjungimus *epistolarum* mentionem, quae a *Phalaride*, Agrigenti tyranno Ol. LIV. (564), a *Theanone*, Pythagorae uxore compluribusque Pythagoreis scriptae traduntur, eadem illae impudentia a falsaria manu fabricatae, qua *Themistoclis, Euripidis, Socratis* et *Socraticorum*.

Pythagorica, quae feruntur, cont. Opuscula Graecor. vett. sententiosa et moral. gr. et lat. ed. *I. Conr. Orellius.* Lps. 1819, sq. II. 8. — Epistt. v. in: Collect. epistol. graecar. gr. et lat. *I. C. Orell.* Vol. I. epp. Socr. et Pyth. Lps. 1815. 8. *Phal.* epp. *I. D. a Lennep* et *L. Csp. Valckenaer.* Groning. 1777. 4. rep. cur. *Schaefer.* Lps. 1823. 8. *Rich. Bentleii* diss. de epp. Phal. et al. (Opusc. Lps. 1798. 8.) *Thean.* in *I. Chr. Wolff* frgm. mulier. gr. prosaic. Lond. 1739. 4.

Aetas secunda.

Ab Ol. LX. usque ad CXI. (540-336 a. Chr.)

§. 28.

Summarium.

Ex Asia in Graeciam migrarunt litterae. Ac veluti planta in fecundiorem agrum transposita novos gignit flores eosque discolores saepe ac variatos, ita et litterarum flos succrevit tum praestantia haud inferior immo aliquatenus superior tum ubertate beatior. Felici illo cum Persis certamine simulac Graeci et clarum formidolosumque inter exteros nomen sunt nacti et suas ipsorum vires diligentius ponderare quidque valerent experiendo assequi didicerunt, insolitus subito animum invasit ardor, rerum publicarum forma bene constituta universum vitae civilis et intelligentiae statum novis adornandi incrementis, adminiculis, cumulis. Ad summum potestatis et principatus fastigium Periclis ingenio et industria elatum quum Atticae caput non magis civitatibus Graecis quam litteris leges imponere coepisset, factum est, ut ipsi gloriae aemula exsisteret Spartanorum res publica sursum lata victricibus e bello Peloponnesiaco eductis copiis Athenisque captis moeniorumque privatis. Nihilominus tamen nec, quae tunc iis obtigerat, calamitas, nec Thebanorum posthac surgens potentia vim illam debilitare, nedum frangere valuit, quam in artium litterarumque conditionem exercuerant Athenienses, ut ne lingua quidem Attica e dominio ubique locorum patente removeri se pateretur.

I. Poesis.

§. 29.

1. Drama.

In fertili illo, quod memoravimus, Attici ingenii solo *dramaticam* poesin et totam nasci et unam omnium

excellentissimam, non est, quod miremur. Chori enim, inter sollemnia in Bacchi honorem habita tanquam ornamentum constituti, hoc sibi tuendum curabant officium, ut argumentum aliquod (ἐπεισόδιον) spectatoribus exponerent ac depingerent. Id quod primum nudo cantu, saltatione ac mimico gestu factum apparet. Quum vero et epico et lyrico carmine jam sparsa esset materia ac quasi augurium datum, sermonis interlocutionisque usus non potuit non accedere, ut animo melius informaretur expositionis natura. Hujusmodi interlocutorem primus adscivisse fertur *Thespis*, Icaria, Atticae vico, oriundus c. Ol. LX. (540), Solonis et Pisistrati aequalis, scena licet admodum rudi, ita tamen, ut primarias chorus pergeret agere partes (cf. Aristoph. Vesp. 1470), nec satis discerneretur lascivum et jocosum argumentum a serio, quare tragoediae a quibusdum inventor vocatur Thespis. (Non omnino vere judicat Hor. A. P. 220-24). Exinde autem, separato ac sejuncto ludibrii lusu a gravi et lugubri spectaculo, *tria* paulatim distrahuntur dramatis genera, *Tragoedia*, *Comoedia* et *Drama Satyricum* (cf. Aristot. Poet. c. 3. ss. Horat. A. P. 275. ss. Alia dabunt Lexicographi, Suidas, Pollux cet. *Bentleii* opusc., *Hermann.*, *Boeckh.* al.)

§. 30.

A. *Tragoedia.*

Quo tempore remota sit tragoedia a comoedia; certe definiri nequit; illius vero nomen jam antea tritum fuisse, quamquam lyricis quibusdam cantibus impertitum, concluditur ex iis, quae narrant de prisca Sicyoniorum tragoedia (Herod. V. 67. Aristot. Poet. 31.), discrepante ab Attica, quam a dithyrambo originem cepisse credas. Thespidi successit *Choerilus* Atheniensis c. Ol. LXV. (cf. §. 42.), cujus permulta indicantur fabulorum nomina; cum eoque magistrum aemulatus est *Phrynichus*, cujus magnam existimationem nacta fabula *Ἅλωσις Μιλήτου* (Herod. VI. 21.). Omnium vero maxime tragoediam excoluit *Aeschylus*, dialogum instituendo, additis secundo histrione et primarum partium constitutione, imminuendo ea, quae ad chorum pertinebant et amovendo scurrilia quaeque et jocosa. Tragici subinde certare coeperunt de praemio, *trilogiis* compositis et *tetra-*

logiis i. e. tribus tragoediis comitante dramate Satyrico; ipsi simul fabulas in scenam producebant, docebant et actoris partes suscipiebant (Didascaliae). Chori inprimis usus varius at consideratissimus, quem hic ostendere longum est, fabulas eorum discernebat a plerisque nostratium. De tragicorum principibus, Aeschylo, Sophocle, Euripide judicium tulerunt Aristoteles, Horatius ll. m. et Quintilianus l. l. X, 1, 66-68. (*Jon*, *Achaeus*. Tragicorum filii et nepotes.)

§. 31.

Aeschylus.

Ut alia taceamus, de vita *Aeschyli* Eleusinii hoc inprimis tenendum est, natum illum Ol. LXIII. 4. (525), in proeliis apud Marathonem, Salamina et Plataeas hoste congressum, concertatione tragoediarum vicisse Ol. LXXIII. 3. (485), postea autem a Sophocle victum, Syracusas ad Hieronem abiisse et ibi Ol. LXXVIII. 2. (467) vita cessisse. Abundat autem ingenii vi sublimis, audacis ad temeritatem usque, magnifici, orationis copia grandiloquae, pressae, tumorem haud plane fugientis; excellit argumentorum electione simplicium sed gravium (Aristoph. Ran. 930. Dioscor. epigr. delect. IV. 53. Jac.). Praecipuas choro attribuit partes; humanae ipsi vitae vicissitudinum et exitus dux est fatum et auctor. (Aristophanes Aeschyli laudator.) Octoginta ferme fabulas scripsisse dicitur; septem aevum passae, Prometheus vinctus, Persae, Septem contra Thebas, Orestias sive Agamemnonis, Choephorarum et Eumenidum trilogia, Supplices s. Danaides, quarum omnium in tria episodia dispertiit actionem.

Ed. pr. VI trag. Ven. Ald. Man. 1518. 8. Robortell. Ven. 1552. 8. VII tr. *Petr. Victor.* et *Henr. Stephan.* Par. 1557. 4. *G. Canter.* Antwerp. 1580. 12. *Th. Stanleii.* Lond. 1663. sq. fol. auctius cur. *Sm. Butler.* Cantabr. 1809. 1711. 8. gr. et lat. (cur. *Rich. Porson.*) Lond. et Ox. 1806. II. 8. *Chr. Gdfr. Schütz* c. schol. ed. noviss. Hal. 1809-21. V. 8. (* *A. Wellauer.* Lps. 1823. sq. II. 8.) Agam. in *F. A. Wolfii* Tetralogia. Hal. 1787. 8. Eumen. *G. Hermann.* Lps. 1799. 8. Pers. *E. R. Lange* et *Gst. Pinzger.* Berol. 1825. 8. (*Blomfield.*) Germ. vertit *Hr. Voss.* ed. *Io. Hr. Voss.* Heidb. 1826. 8. IV trag. *Fr. L. a Stolberg.* n. e. Hamb. 1824. 8. Agam. *Guil. a Humboldt.* Lps. 1816. 4. Sept. *I. W. Süvern.* Hal. 1797. 8. Cf. Wielandi Mus. Att. (Tyrwhitt, Blümner, Hermann, Wun-

derlich, Heeren, Welcker, Passow, Haupt; Iacobs in Nachtr. z. Sulz. III. Conz in Encycl. Hal.)

§. 32.

Sophocles.

Annum vigesimum octavum vix egressus Aeschylum certamine superavit *Sophocles*, natus in pago Colono prope Athenas Ol. LXX. 4. (497), mortuus Ol. XCIII. 3. (406). Juvenis ad celebrandam victoriam Salaminiam saltat; Ol. LXXXIV. 4. cum Pericle dux contra Samios creatur; nonagenarium, plus quam vicies in concertationibus poetarum praemio decoratum ubi filii accusarunt, Oedipum Coloneum magno judicum plausu docet (Cic. de sen. 7). Jure ipsi inter tragicos summus addicitur locus, qui fabularum actionem ampliorem constituerit, novo quodam eoque praeclaro artificio ad exitum deduxerit, ad sensum et animi commotionem propius appulerit, qui hominum mores justo designarit et vero calamo, rudem, quam Aeschylus prae se fert, asperitatem temperarit modesto et considerato decore, eximiam elocutionis nobilitatem conjunxerit jucundissima Attici sermonis gratia et perfectione. (Cf. Aristoph. Ran. 790. 1515-55. Virg. Ecl. VIII. Cic. de div. I. 25. or. I. cet.). Idem in fabularum structura et forma nonnihil emendavit, tertium primus histrionem in scenam sisti jussit, partium chori fines coarctavit, ut primariae esse desinerent, apparatum scenicum immutavit et auxit. (Aristot. l. l. 4.) Ad centum triginta ei inscribebantur fabulae, quarum septuaginta ipse revera videtur composuisse; at plurimas intercepit vetustas, praeter septem reliquas, Ajacem, Electram, Oedipum Regem, Antigonam, Oedipum Coloneum, Trachinias, Philoctetem.

Ed. pr. Ven. Ald. 1502. 8. c. schol. vet. Rom. 1518. 4. c. schol. Triclinii *Hadr. Turneb.* Par. 1553. 4. *G. Canter.* Antv. 1579. 16. *R. F. Ph. Brunck.* Argent. 1786. II. 4. IV. 8. (rar. ed. 1789. IV. 8.) *C. G. A. Erfurdt.* Lps. 1802-11. VI. 8. Tom. VII. edd. *Lud. Heller* et *L. Doederlein.* Lps. 1825. 8. * ed. min. *Erf.* Lps. I. II. (1809. 11. ed. n. cur. *G. Hermann.* 1823. III-VII. ed. *G. Hermann.* 1819-25. III. IV. ed. alt. 1825. (* edd. comp. *E. Wunder.* Lps. 1825. *G. Dindorf*, *A. Matthiae* ib. eod.; c. not. germ. *G. C. Guil. Schneider.* Vimar. 1823-26. VII. 8.) Ajax. *Chr. A. Lobeck.* Lps. 1809. 8. Oed. R. *Petr. Elmsley* Ox. 1811. Lps. 1821. Oed. Col. *Elmsl.* Ox. 1822. Lps. 1823. *Car. Reisig.* Ien. 1820. comment. 1822. 23.

* Philoct. *Ph. Buttmann.* Berol. 1822. 8. Soph. germ. vert. *Chr. Fr. a Stolberg.* ed. n. Hamburg. 1824. 8. *C. G. Fr. Solger.* ed. n. Berol. 1824. II. 8. Oed. R. *Fr. Iacobs* in Nov. Mus. Att. I. 2. *I. Fr. Manso.* Goth. 1785. 8. Trach. *Süvern.* Berol. 1809. 8. (Lessing, Iacob, Osann, Wunder, al. Iacobs. in Nachtr. IV.)

§. 33.

Euripides.

Eloquentiae dulcedine mire *captus* ejusque nimis studiosus *Euripides* accessit tragicum fabularum genus. Is lucem propriam accepit Salamine Ol. LXXV. 1. (480) eaque privatus est Ol. XCIII. 2. (407), Archelai Macedonici hospes. Ac tantum abest, ut profluentia illa oratoria tragoediae vim auxerit, ut etiam debilitarit ac diminuerit. Non eadem, qua Sophocles, usus intenta actionis cura et accurata expositione, choro multum detraxit auctoritatis et dignitatis. At laudatur sententiarum et praeceptorum ubertas insignium, ad morum conformationem pertinentium, suavis verborum candor et orationis puritas cum perspicuitate, nec ipsum Aristoteles τραγικώτατον dicere (Poet. 13) dubitat, quod argumentis scite electis et descriptione ad sensum diligenter composita commiserationis movendae intelligentia praecellit. Fabularum nomina ipsi adscribebantur CXXIII. Ad LXXV edidisse probabile est; tempus non plus quam XVIII servavit germanas, Hecubam, Orestem, Phoenissas, Medeam, Hippolytum, Alcestin, Andromachen, Supplices, Iphigeniam Aulidensem, Iphigeniam Tauricam, Troades, Bacchas, Heraclidas, Helenam, Jonem, Herculem Furentem, Electram, Cyclopem, drama Satyricum (§. 38), praeterea Rhesum, fabulam supposititiam, spurium Danaes fragmentum, et Phaethontis versus CXX.

Ed. pr. Med. Hipp. Alc. Andr. gr. Flor. Ian. Lascaris s. a. 4. XVIII trg. Ven. Ald. 1508. 8. XIX tr. *G. Canter.* Antv. 1571. 12. *Iosua Barnes.* Cantbr. 1694. f. *Sam. Musgrave.* Ox. 1778. IV. 4. c. not. Brn. et Mgr. *C. Dan. Beck.* Lps. 1778-88. III. 4. *A. Matthiae.* Lps. 1813-25. VIII. 8. (* edd. comp. *Matth.* Lps. 1819. III. 8. *Dindorf.* ib. 1825. II. 8.) Phoen. *L. C. Valckenaer* Franequ. 1755. Lugd. B. 1802. 4. Lps. 1824. 8. Hipp. *Valck.* Lgd. 1764. 1822. 4. Lps. 1823. 8. Suppl. *Ier. Markland.* Lond. 1763. 4. Iph. A. et T. *Markl.* ib. 1771. 4. (conjunct. rep. cur. Th. *Gaisford.* Ox. 1811. II. 8. Lps. 1822. II. 8.) * Hec. Or. Ph. Med. *Rich. Porson.* ed. IV. cur. *G. H. Schaefer.* Lps. 1824. 8. (et separat. vend.); *G. Hermanni*:

Hec. Lps. 1800; * Herc. fur. 1810; * Suppl. 1811; * Bacch. 1823; * Alcest. 1824. 8. *Aug. Seidleri:* * Troad. Lps. 1812; * El. 1813; * Iph. T. 1813. 8. *Petri Elmsley:* Heracl. Ox. 1813; Lps. 1821; Bacch. Ox. 1818; Lps. 1822; Med. Ox. 1821. Lps. 1823. 8. *Io. Hr. Monk:* * Alc. Cantb. 1816. rep. cur. *E. F. Wüstemann.* Goth. 1822.; * Hipp. ed. n. Cant. 1816. Lps. 1823. 8. * Phoen. *C. Gd. Schütz.* e. n. Hal. 1820. 8. Phaeth. frg. ed. *G. Hermann.* Lps. 1821. 4. (ins. Miscell. crit. Friedem. et Seebod. I. 1.) Eur. germ. vert. *F. H. Bothe.* Ed. n. Mannh. 1823. 24. V. 8. *Wieland.* Helenam in Nov. Mus. Att. I., Ionem. Lps. 1803. 8. (Iacobs, Boettiger, Bremi, Hermann; cf. Iacobs in Nachtr. V. Encycl. Hal.),

§. 34.

B. *Drama Satyricum.*

Choris Dionysii sacra celebrantibus, quum Satyrorum jocis dithyrambicis jam ante Thespidem quasi temperarentur seria, originem debuit *Drama* quoque *Satyricum.* Est hoc parodiae genus, argumentis quidem gravibus et tristibus cum deorum atque heroum accessu, sed ad ridiculum contortis, jocis et ludibrio intertextis. Chori partes Satyri agebant; ipsae choreae ad cavillandum institutae; sermo inflatus, scena agrestis. Dramata Satyrica, quae tragoedias semper comitabantur, a *Pratina* Aeschyli temporibus exculta (Pausan. II. 13. 5.); plenam nobis ejus generis imaginem unus profert Euripidis Cyclops.

Is. Casaubonus de sat. Graecor. poesi ed. Rambach. Hal. 1774. 8. (Eichstaedt, Hermann.)

§. 35.

C. *Comoedia.*

Poetae quoniam principio jocum miscuerunt cum sermone lugubri, quo tempore ipsa exorta sit *comoedia*, evidenter non constat. Rustica vindemiarum [illegible] disjungendae illi a tragoedia et speciei [illegible] locum dedisse creditur (κῶμος, *comissatio*). Nec dubitari posse videtur, quin primae Atticae comoediae paulo artificiosius excultae initia a Megarensibus sint repetenda (Arist. P. I. III. 5.). *Susarionem* Megarensem [illegible] primum cantu scurrili et rhythmico [illegible] delectasse ferunt fabulisque nisi [illegible] dam certe argumentorum finibus circumscriptis.

in Sicilia eamque cultiorem formam induit comoedia *Epicharmo* auctore c. Ol. LXXIV. (484), qui fabularum e mythologia desumsit argumenta (Arist. l. c. Plat. Theaet. p. 152. E. Theocr. epigr. XVII. Hor. epp. II, 1, 58.) Epicharmi inventa Athenas transtulit *Crates* c. Ol. LXXXII. (*Chionides*, *Magnes*).

(*H. Harless* de Epich. Ess. 1822. 8. *C. Ottfr. Mueller* in Dorib., s. hist. gent. et urb. gr. Vol. II.)

§. 36.

De variis comoediae generibus.

Non ejusdem semper Athenis comoedia erat indolis, quum effrenata, qua insurgeret, licentia tum demagogis flagellatis tum tyrannis Atticam libidinem comprimentibus displiceret ac molestiam crearet. Qua re paulatim infringitur comoedia et dejicitur, cujus *tria* nominatim distinguere possis genera, *veterem*, *mediam*, *novam*. Non parcit *antiqua* illa nec deorum ulli nec hominum; indomita eludit petulantia civium mores corruptos, ipso nomine significatorum; populi rempublicam gubernantis protervitate tegitur et alitur. Cui, extremum in Socratis aetatem excedenti, vires consecrarunt *Cratinus*, qui primus improborum hominum mores acerbe perstrinxit (Aristoph. Equ. 523. 55.), *Eupolis* (*iratus* Pers. Sat. I. 124.) uterque c. Ol. LXXXVII., *Pherecrates* Ol. LXXXVI., et *Aristophanes*. (Cf. Quint. X, 1, 65. 66. Hor. Serm. I, 4, 1 - 4.). Repressa cavillandi cupiditate moderatius *media* incedit fictisque nominibus, nonnumquam vel argumentis, ut tamen ad civilem reipublicae statum nihilo secius pertinerent. Id quod fragmentis maxime declaratur *Antiphanis* Rhodii c. Ol. XCIII. (408) et *Alexidis* Thurii c. Ol. CXI. (336) viventis. De *nova* v. §. 65. (Cf. Hor. A. P. 281 - 284; *Meineke*, *Kanngiesser*, *Bentley*).

§. 37.

Aristophanes.

Inter comicos primo nobis loco est *Aristophanes* Atheniensis, cujus pectore sedem ac quasi tabernaculum fixisse Charites, quum templum quaererent, non illepide quidam cecinit. Inexhaustae illi facetiarum effluunt leporis et joci petulantis venae, posthabitis interdum ho-

nesti et decori finibus; nequissimorum hominum perversitatem salebrosis castigat dicteriis, ipso nomine supposito; in deos adeo mordaces emittit aculeos. At salis quasi velamine obtegitur judicium sanissimum, acerrimum, voluntas in rempublicam singularis. Tanquam in speculo effícta fabulis illius cernuntur universa populi Atheniensis vitia et incommoda optimatium imperio subjecti. Inventionis et actionis minor cura; elocutionis et orationis insignis splendor. Undecim de sexaginta reliquae sunt fabulae, Nubes, Ranae, Equites, Aves, Acharnenses, Pax, Ecclesiazusae, Thesmophoriazusae, Lysistrata, et Plutus, in *mediae* jam comoediae rationem exacta.

Ed. pr. IX com. c. schol. ed. Marc. Musur. Ven. Ald. 1498. f. c. nov. schol. Arsenii Flor. Iunt. 1515. 8. (Thesm. Lys. ib. eod. XI. c. *Ldph. Küster.* Amst. 1710. f. *Ptr. Burmann.* c. nott. Bergler. et Ducker. Amst. 1760. II, 4. gr. lat. *Brunck.* Argt. 1783. IV. 4. et 8. e. cod. Ravenn. *Ph. Invernizzi* c. comm. *C. D. Beck.* (Vol. VI. et ss. c. *G. Dindorf*) Lps. 1794-1826. XIII. 8. (nond. absol.) *C. G. Schütz.* Tom. I. p. 1. 2. Lps. 1821. 8. *ed. min. *G. Dindorf.* Lps. 1821-26. V. 8. (nond. abs.; *ed. comp. *Dind.* 1825. II. 12.) Plut. *Tib. Hemsterhus.* Harling. 1744. rep. cur. *Schaefer.* Lps. 1811. 8. Nub. *Gd. Hermann.* Lps. 1799. 8. *C. Reisig.* Lps. 1820. 8. gr. et germ. *F. A. Wolf.* Berol. 1811. 4. Eccles. in *Wolfii* Tetral. Acharn. *P. Elmsley.* Ox. 1809. 8. c. nott. Elmsleii. *A. Sander.* Hildes. 1820. 8. Vesp. *C. Ph. Conz.* Tub. 1824. 8. Germ. Ar. vert. *I. Hr. Voss.* Brunsv. 1821. III. 8. Ex Acharn. fragm. *Wolf.* Berol. 1811. 4. Sing. vert. *Wieland*, *Göthe*, *Welcker.* (Tyrwhitt, Reisig, Süvern al.; Manso in Nachtr. VII. Encycl. Hal.)

§. 38.

2. Mimi.

Dramaticae Dorum poesi annectuntur Siculorum *Mimi*, diverbiorum genus ad actus scenarum compositum, prosa quidem oratione sed rhythmica (καταλογάδην Aristot. Poet. I. 7.) et magis ad recitandum inter paucos quam agendum in scena destinatum. Actioni scite ordinandae et profligandae cura minor habita; expositio maxime elaborat in depingendis vitae quotidianae moribus, natura, consuetudine (cf. Theocriti Idyll. XV.). Plurimum mimos ornavit *Sophron* Syracusius c. Ol. LXXXVII., quem Theocritus aemulatus esse, Plato perquam fertur adamasse (Quintil. I, 10, 17.).

Frgm. coll. in Classical Iourn. nr. VIII; Mus. crit. Cantabr. VII.

§. 39.

3. Lyrica. 4. Elegia lugubris.

Aequo cum dramatica pede *lyrica* poesis summum ascendit decoris et ornamenti fastigium. Jam *Simonides* Ceus Ol. LV. 3. (558) - LXXVII. 4. (467), qui *elegiae* simul *flebilis* (θρήνων cf. Quint. X, 1, 64.) fuit inventor multorumque auctor epigrammatum et artem memoriae primus protulit (Cic. de or. II, 86. Quint. XI, 2, 11. 55.), non exiguam habuit laudem ob cantum molles lugubresque affectus concitantem. Clarus itidem fuit *Bacchylides*, Simonidis aequalis et sororis filius, Pindari aemulus et Hieroni familiaris. Dei tamen inter homines instar praeter ceteros eminet *Pindarus* Thebanus (cf. Olymp. I. 153. 54. Vell. Pat. I, 18. s. fin.), Simonidis discipulus Ol. LXV. 3. (517) - LXXXIII. 4. (445) „Novem Lyricorum lon„ge Pindarus princeps, spiritus magnificentia, sententiis, „figuris, beatissima rerum verborumque copia, velut „quodam eloquentiae flumine: propter quae Horatius „(Od. IV. 2.) eum merito credidit nemini imitabilem." (Quint. X, 1, 61. cf. Paus. X. 24. Antipat. epigr. IV, 49. del. Jac. Propert. III, 15, 40.). Ceterum summam erga deos pietatem spirant Pindari carmina; animum percutiunt mira sententiarum, quibus nihil augustius, gravius, sincerius dici potest, majestate. De ejus vita multa fabulantur (v. Pausan. IX. 23. Aelian. var. hist. XII. 45.); longaevum in theatro extrema secutum dicunt. Supersunt ejus XLV hymni in laudem eorum, qui vicerant in certaminibus publicis, ad celebrandam deorum, urbium, heroum gloriam conditi et fragmenta quaedam diversae rationis. Dialectus dorica passim mixta cum aeolica et epica.

Sim. et *Bacch.* fgm. in *Brunck.* Anal. et *Iacobs.* Anthol. Bacch. seors. ed. *C. Fr. Neue.* Berol. 1823. 8. Plura vert. *Fr. Iacobs* in Tempe. Cf. Mus. Att. IV. — *Pind.* ed. pr. Ven. Ald. 1513. 8. Zach. Callierg. c. schol. Rom. 1515. 4. *Ch. G. Heyne.* c. nvss. Lps. 1817. III. 8. *Aug. Boeckh.* Lps. 1811. 12. II. tom. in III. pp. 4. * ed. alt. min. *Boeckh.* Lps. 1825. 8.) * ed. min. *C. G. Ahlwardt.* Lps. 1821. 8. Germ. v. *Io. Hr. Voss.* Regiom. 1808. 8. gr. et germ. c. prolegg. *Fr. Thiersch.* Lps. 1820. II. 8. (Schneider, Hermann, Tafel; cf. Manso in Nachtr. z. S. I.)

5. Carmen didacticum.

§. 40.

Xenophanes.

Philosophica s. *didactica* poesis quomodo prosae orationi antecedere potuerit, sine negotio percipitur. Quum antea singulas duntaxat sententias nullo vinculo inter se nexas perscripsissent poetae philosophi, disquisitiones nunc in medium proferebant et cogitata de rerum natura, de universi constructione et similibus versu heroico concepta et colore poetico tincta, materia tamen spinosa non raro repugnante levi involucro. Elegantis hujuscemodi philosophandi rationis propagatrix *Eleatum* schola (§. 28.) praecipue aestimatur. Viam monstravit *Xenophanes* Colophonius c. Ol. LXIII. (528) in carmine περὶ φύσεως.

Xen. fgm. in *Ge. Gst. Füllebom.* Beiträge z. Gesch. d. Philos. fascic. VII. *H. Stephan.* poes. philosophic. Par. 1573. 8. *). —

§. 41.

Parmenides. Empedocles.

Eadem via perrexerunt *Parmenides* et *Empedocles*, rerum naturam pariter perscrutantes. Parmenides quidem, Eleae natus c. Ol. LXXIX. (464), Xenophanis placita secutus, mundum ex igne genitum credit, Deumque esse continentem ardore lucis orbem, qui coelum cingat; simul ea, quae mente percipiantur, discernit ab iis, quae sub sensum cadant. (Cic. N. D. I. 11. Acad. IV. 5.). Empedocles, natione Agrigentinus c. Ol. LXXXIV. (442), magistro nobilior, elementa Deos facit, quorum mixtione omnia sint creata. (Cic. N. D. I. 12. Acad. II. 13).

Emp. fgm. coll. *Fr. G. Sturz.* Lps. 1805. 8. *Emp.* et *Parm.* coll. *Amad. Peyron.* Lps. 1810. 8.

---

*) Insunt et *Empedoclis*, *Parmenidis*, *Xenophanis*, *Cleanthis*, *Timonis*, *Epicharmi*, *Orphei* τοῦ θεολόγου *Heracliti* et *Democriti* plura.

§. 42.

6. Poesis heroica.

Reliqua omnia poesis genera quum hac aetate videamus laete florentia vel saltem non continente quasi declivitate ad interitum vergentia, solum epos opinione citius de summo culmine est lapsum. Qualis Homero contigerat oris divini vigor, melliti dulcedo, jam frustra quaeras. Materiem quibusdam suppeditant aevi suppatis fata et facta. Pauci poetarum satis noti; excellunt tamen *Choerilus* Samius Ol. LXXVII. 1 - XCIV. 3. (471-402), qui bella cecinit cum Persis gesta (*Περσηΐς*), et Antimachus Colophonius, Thebaidis auctor, quem fortasse nimis laudarunt grammatici Alexandrini (cf. Quint. X, 1, 53.)

Choer. Sam. rell. coll. *A. Ferd. Näeke.* Lps. 1817. 8. *Antim.* rell. c. praef. *F. A. Wolf.* ed. *C. A. G. Schellenberg.* Hal. 1786. 8.

II. Oratio pedestris.

1. Historia.

§. 43.

Herodotus.

A logographia et fabularum notitia abjungitur *historia*, suomet ipso pede ingrediens et legibus adstricta fidei et religionis inviolabilibus. Cujus pater (Cic. de legg. I. 1.) jure vocatur *Herodotus*, Halicarnassi Cariae natus Ol. LXXIV. 1. (484). „Narrator dulcis, lenis, candidus, ut fere senem videre videamur, post longinquas peregrinationes domi reducem, in solio sedentem, libenter referentem, cum quae viderat, tum quae audiverat, ne iis quidem exceptis, quae incredibilia ipse judicaret." (Wyttenbach. praef. ad Select. hist. Graec. p. X. Opusc. ed. Friedem. I. p. 202.). Quamquam enim infitias ire non possumus, in itineribus per magnam Europae, Asiae, Africae partem factis, verba ipsi non raro esse data, praesertim a sacerdotibus malevolis et fallacibus: etsi sit, ubi nimia quadam loquacitate idem gaudeat, nec prosae orationis munditiem, licentiam, adstrictam eloquentiam eam comparaverit, qua postea diligenter se-

paratur a vincta; rerum tamen expositio narratorem testatur disertum, descriptorem assiduum, suavem, perspicuum, simplicitate, candore, pietate semper intentum. (Cic. de or. II. 13. or. 12. Quint. X, 1, 73.). Historiarum opus, quod Herodoti est, dialecto ionica recentiore conceptum et ab ipso auctore Thuriis recognitum, cujus singuli libri a Grammaticis Musarum nominibus sunt inscripti, pictoris velut tabula exponit imaginum proventu res a compluribus Asiae, Africae et Europae populis annorum CCXX spatio gestas, ita fere, ut scribendi materiem primariam suppeditarent certamina inter Persas et Graecos commissa usque ad pugnam apud Mycalen factam, cetera occasione data insererentur tanquam condimenta et media fercula. Fama est, ipsum inter Olympia (Ol. LXXXI. 1.) Corinthi et Athenis sua legisse.

Ed. pr. lat. per Laur. Vallam. Ven. 1474. f. gr. Ald. 1502. f. *Petr. Wesseling*, Amst. 1763. f. *Fr. Volg. Reiz.* contin. *G. H. Schaefer.* ed. n. Lps. 1816. 20. II. 8. (non abs.) ed. *Schaefer.* Lps. 1800-3. III. 8. (non abs.) *Io. Schweighaeuser.* Argt. 1816. VI. 8. *Th. Gaisford.* Oxon. 1824. IV. 8. Lps. 1825. sq. IV. 8. (* edd. comp. *A. Matthiae.* Lps. 1825. sq. II. 8. *Gd. Stallbaum* ib. eod. III. 8.) Gall. vert. *Larcher* ed. n. Par. 1802. VII. 8. Germ. *Fr. Lange.* ed. n. Vratisl. 1825. II. 8. (Creuzer, Portus, Boettiger, Bredow, Dahlmann.)

§. 44.

Thucydides.

Palmam inter historicos unus omnium fert *Thucydides* Olori f., e nobilissimo genere natus Athenis Ol. LXXVII. 1. (471), denat. Ol. XCVII. 2. (391). Ab Anaxagora, Antiphonte aliisque viris doctrina et eruditione claris optime instructus, iis temporibus ad rempublicam accessit, quibus egregie floruerunt Athenae Pericle moderante; octavo autem Peloponnesiaci belli anno dux in Thraciam missus ad Amphipolin occupandam, urbe a Spartanis praeoccupata, exul Scaptesulam ivit et historiam scripsit dicti belli viginti tantum annorum spatium complectentem, ab ipso sene in patria absolutam, quam in VIII libros habemus divisam (cf. Cic. de or. II. 13.). Thucydides quum summam historiae dignitatem et auctoritatem tueri vellet (I. 22. V. 26.), optime id assecutus est integritatis et veritatis omni partium

studio liberae acerrima cura. Rerum gestarum pronuntiator gravis, magnificus, sollers; causarum et eventuum industrius explorator; sententiis creber, adstrictus ubique et pressus ideoque nonnihil tortuosus et subobscurus, festivitatis gratiam minus curans; in concionibus grandis et diligentissimus in morum descriptione; orationis denique purissimae studiosus, licet difficilis et structuram verborum saepe variantis. (Cic. or. 9. 12. de or. l. c. Brut. 7. 83. Quint. l. c. *)

Ed. pr. gr. Ven. Ald. 1502. Henr. Steph. e. n. Par. 1588. f. *Ios. Wasse* et *C. A. Ducker.* Amst. 1731. f. *C. L. Bauer* c. nott. *Io. Chr. Gottleberi* contin. *C. D. Beck.* Lips. 1790. 1804. II. 4. * *Chr. Fr. F. Haacke.* Lps. 1820. II. 8. *Imm. Bekker.* Oxon. et Berol. 1822. III. 8. * ed. min. ib. 1824. 8. *Ern. Fr. Poppo.* Lps. 1821. ss. IV. 8. (nond. abs.) *Frc. Goeller.* Lps. 1826. II. 8. (* ed. comp. *Dindorf.* Lps. 1824. 12.) Germ. *I. F. Heilmann* c. add. *Bredovii* ed. nvss. Lemgov. 1823. 8. (Creuzer.)

§. 45.

Xenophon.

Non solum imperium praeclare gessit *Xenophon* Atheniensis, cujus natalis probabiliter est annus Ol. LXXXIV. 1. (444), decem millibus Graecorum in illustri illo in patriam reditu praefectus Ol. XCIV. 4. (400), sed etiam philosophiam secundum Socratis disciplinam naviter exercuit, historiam eximia cum laude coluit. Socratis comes factus, bello primum Peloponnesiaco stipendium meruit, posthac Cyro Minori auxilium laturus Sardes concessit. Ab Atheniensibus ob id patria pulsus, ab itinere redux Scilluntem se contulit, ubi plurima exaravit scripta, obiitque Corinthi Ol. CVI. 2. (355). In illis, quae aut suas aut aliorum res exponunt, operibus simplicem sectatur et nativam pulcritudinem, perspicuitatem, venustatem; narratio candida, fusa, facilis; elocutio suavis, nitida, comta (Cic. de or. II. 13.), sermo

---

*) „Quem velim legat studiosa juventas assidue. Credite mihi, adolescentes φιλομαθεῖς, sive eloquentiam quaeritis, sive scientiam civilem, sive historiae cognitionem, non potestis in alio auctore operam melius collocare." *Is. Casaubon.* animadv. ad Dion. Halic. p. 26. cll. Wyttenb. l. c.

sermo melle dulcior (Cic. Or. 9. cll. 19.). Philosophum arguit tum confirmatio ad morum emendationem spectans, tum sententiarum frequens usus. Historici autem argumenti sunt I. Ἀνάβασις s. *Expeditionis Cyri* Minoris et Graecorum Reditus ll. VII, in quibus omnium maxime ingenium cernitur agitatum fervore quodam singulari nec tamen urbanitate carens, tum II. Ἑλληνικά s. *Historiae Graecae*, qua continuantur, quae Thucydides retulit, ad proelium usque prope Mantineam commissum, libri VII, lacunis paulisper mutilati; III. *Cyropaedia* (ll. VIII) eo consilio scripta, ut principis perfecte instituti species quaedam et forma effingeretur; IV. *Agesilaus*, laudatio viri hujus excellentis. Praeterea et philosophica multa et politica et oeconomica concinnavit, cujusmodi sunt: V. *Memorabilium Socratis* ll. IV, accuratam et elegantem magistri incliti imaginem delineantes; VI. *de Oeconomia;* VII. *de re publica Atheniensium et de rep. Lacedaemoniorum*, duo breviora commentariola, sed spuria; VIII. *de vectigalibus;* IX. *de re equestri;* X. *de officio magistri equitum;* XI. *de Venatione;* XII. *Convivium Philosophorum;* XIII. *Hiero* s. *de vita tyrannorum;* XIV. *Apologia Socratis*, quam nonnulli abjudicant Xenophonti.

Opp. ed. pr. Flor. Iunt. 1516. f. Ven. Ald. 1525. f. *Henr. Steph.* e. nvss. Par. 1581. f. gr. et lat. *Leunclav.* e. n. Basil. 1577. f. *Benj. Weiske.* Lps. 1798-1804. VI. 8. *Io. Gtlo. Schneider.* Lps. 1806-25. VI. 8. (Tom. II. Anab. ed. alt. cur. *F. A. Bornemann* 1825.) Anab. *L. Dindorf.* Lps. 1825. 8. *C. G. Krüger.* Hal. 1826. 8. **E. Fr. Poppo.* Lps. 1826. 8. (*edd. comp. *Dind. Iacobs.* Lps. 1825.) Cyrop. **Poppo.* Lps. 1821. 8. (*edd. comp. *Poppo*, *Nobbe*, *Dindorf.* 1824. 25.) *Hiero. *C. H. Frotscher.* Lps. 1822. 8. * Ages. c. Plut. Ages. *D. C. G. Baumgarten-Crusius.* Lps. 1812. 8. Conviv. *Bornemann.* Lps. 1824. (*ed. comp. Conviv. et Ages. *Dind.* 1823.) Apol. **C. G. Schütz* e. nvss. Hal. 1822. 8. *Bornem.* Lps. 1824. 8. Mem. Socr. c. nott. Valcken. Ruhnk. Ernest. *I. C. Zeune.* Lps. 1781. 8. Germ. v. Cyrop. *I. Fr. Meyer* e. n. Fcf. 1825. 8. Anab. *Halbkart* e. n. Vratisl. 1822. 8. de re equ. *Fr. Iacobs.* Goth. 1822. 8. (Sturz Lex. Xen.; Creuzer, Bremi, Rennell, Krüger al.).

§. 46.

Alii Historici et Geographi. Inscriptiones.

De ceteris hujus aetatis rerum scriptoribus quod nil plane reliquum est, nisi exceperis nomina, testimonia et pauca fragmenta, magnopere dolemus. (Cf. Quint.

X, 1, 74.). Ita quae maximi ponderis essent, multa erudite et verecunde consignavit *Ctesias* Cnidius, peculiaris Cyro juniori medicus factus, quum prope Cunaxam Persarum in manus venerat, in *historiae Persicae* XXIII libris et *Indica*. Non minorem commendationem habebant *Philistus* Syracusius, rerum Sicularum enarrator felix (Cic. de or. II. 13.), *Theopompus*, e Chio insula oriundus, c. Ol. XCV. qui Thucydideum excepit opus (Hellenica, Philippica ll. LVIII. v. Cic. Brut. 17. 56. Orat. 44.; Herodoti libri coarctati) et *Ephorus* e Cumis Aeolus, Ol. XCIII. 4. (405) — CIX. 4. (341), cujus laudatur historia Graecorum et barbarorum generalior, ll. XXX, cum notatione regionum conjuncta (Cic. Or. 57.). — Atticas res plures descripserunt, inter quos eminet *Philochorus* c. Ol. CXVIII. (306). — Loca et gentes verbis illustrandi ac definiendi rationem aliquantulum emendatiorem exhibuerunt *Hannonis* Carthaginiensis et *Scylacis* Caryandrae nati *Peripli* s. Circumnavigationes post itinera ab hoc ad Indi ostia pluresque oras maritimas (Herod. IV. 44.) ab illo ad cognoscendum Africae occidentalis ambitum suscepta. — Quum vero *inscriptiones* antiquissimae plurimum prosint ad rerum publicarum historiam et institutorum civilium scientiam probe intelligendam, praestantissimas quasdam inscriptionum collectiones nosse in rem est. Aetate omnes fere antecedit inscriptio *Sigaea*, saec. VI. a. Chr. Phanodici cujusdam in honorem βουστροφηδὸν scripta, quae nunc inter marmora Elginensia Londini asservatur.

Ctes. fgm. ins. plur. Herodoti edd.; seorsim coll. *A. Lion.* Goett. 1823. 8. *I. Chr. Fel. Baehr.* Fcf. ad M. 1823. 8. *Phil.* coll. *Goeller* de orig. et situ Syrac. Lps. 1818. 8. *Eph.* fgm. *Meier Marx.* Carol. 1815. 8. — *Philoch.* fgm. coll. *C. G. Lenz.* ed. *Chr. G. Siebelis.* Lps. 1811. 8. (Phanodemi et al. *Ἀτθίδων* fgm. colleger. *Iidem* Lps. 1812. 8.) *Hann.* et *Scyl.* in *Io. Hudson.* Geogr. Gr. Min. Oxon. 1698-1712. IV. 8. Scyl. ed. *Iacob. Gronov.* Lugd. 1697. 4. — Corpus inscriptt. graecar. auctorit. Acad. Litt. Boruss. ed. *Aug. Boeckh.* Vol. I. fasc. 1. 2. Berol. 1825. 27. fol. Sylloge inscr. gr. ed. *Fr. Osann.* fasc. I-VI. Ienae et Darmst. 1822-26. f. (n. abs.)

2. Eloquentia.

§. 47.

De forensis dicendi generis origine.

Oratoris perfecta effigies quando gigni nequit, nisi genita ingenue dicendi libertate, rerum publicarum Grae-

carum gubernaculum ad populi libidinem non potuit non eloquentiam proferre atque a popularibus rectum impense adjuvare. Idque Athenis potissimum factum est, rhetorica postquam exculto jam per Joniam pedestri sermone instituta et praeceptorum Siculorum ope firmata ac praemunita fuerat (Cic. Brut. 12. 46.). Intelligentis cujusque ingenium in publicae salutis commodum verba facturi alebat et incitabat rhetorum sagacitate vel doctrina conspicuorum vis, exemplum, disciplina; nec defuerunt idonei artis dicendi regulis obstrictae magistri, quales *Sophistae*, quibus in hoc genere non minimum est ornamentum. (Corax, Tisias, Protagoras, Hippias, Prodicus; cf. Quint. III, 1, 8. II, 17, 7. Cic. de or. I. 20. III. 21. Dionys. Hal. Ruhnken. Bellin de Ballu.)

§. 48.

Viri populares. Gorgias. Alcidamas.

Diserte et graviter dicendo auram sibi captabant popularem, qui rempublicam moderari cupiebant; quare *Pericles* inter oratores eminebat (Cic. de or. II. 22. cll. Brut. 7.) *Alcibiades*, *Critias*, alii, ob eloquendi vim omni laude cumulabantur. Qui vero primi ad causas se contulerunt, frequenter imitati sunt Siculorum illorum lumina, figuras, verborum conformationem, quorum unus est *Gorgias*, patria Leontinus, cum aliis legatus Athenas missus Ol. LXXXVIII. 2. (427). Is optimi magis eloquentiae magistri fama excelluit, quam oratoris. (Cf. Cic. Brut. 12. 50. 52.). Supersunt duae orationes, *Helenae Encomium* et *Defensio Palamedis*. Ejusdem generis sunt duae declamationes, quas *Alcidamas* scripsit, Gorgiae discipulus, *Odysseus* et *de Sophistis*.

Orator. gr. ed. Ald. Man. Ven. 1513. III. fol. rariss. *Henr. Stephan.* gr. lat. Par. 1575. cf. *). *Io. Iac. Reiske.* Lps. 1770-73. XII. 8. (*Gorg.* et *Alc.* Vol. VIII.). Oratt. attic. Oxon. 1823. Berol. 1823. sq. V. 8. (Vol. V.)

§. 49.

Antiphon. Andocides.

Ab inani verborum pompae aucupio aliquantulum digressi dictionem explicabant sinceram magis ac nudam

*) Continet haec collectio eadem quae Aldina praeter *Demosthenem* et *Isocratem*, quare semel tantum nominatur.

Antiphon et *Andocides.* Rhamnusius ille, nat. Ol. LXXV. 1. (480), dux idem in bello Peloponnesiaco et orator splendidus, quum frustra Athenarum constitutionem civilem novare conatus esset (Thuc. VIII. 68.), in exilium abiit in eoque vitam finiit Ol. XCII. 2. (411). Hic et prima artis rhetoricae praecepta composuit (Quint. III, 1, 11. cf. Cic. Brut. 12.). Auctorem eum profitentur XVI orationes in causis fictis de caede habitae. Quibus paulo inferiores censentur Andocidis Atheniensis, nati Ol. LXXVIII. 1. (467), quatuor orationes *de Mysteriis Eleusiniis*, *de Reditu suo*, *de Pace cum Sparta ineunda*, *contra Alcibiadem.* (Quint. XII, 10, 21.).

Ant. Ald. I. *Reiske* VII. *Bekk* I. — *And.* Ald. I. II. *R.* IV. *B.* I. (Sluiter).

§. 50.

Lysias.

Fama et merito praestat *Lysias*, Athenis in lucem editus patre Syracusano Ol. LXXX. 2. (458), „quem prope audeas oratorem perfectum dicere." (Cic. Brut. 9. cll. de opt. gen. or. 3.). Praeceptores audivit Tisiam et Niciam Syracusios, Thuriis quum versaretur. Obiit Ol. C. 2. (379). Facilis ille et simplex, subtilis et pressus; styli munditie et suavitate commendatus; „puro tamen fonti quam magno flumini propior." (Quint. X, 1, 78.; cll. IX, 4, 17.). Inter orationes ejus XXXIV forenses, quae hodie leguntur, merito suspectam esse *Laudationem funebrem* Atheniensium, qui in proelio Iphicrate duce Ol. XCVI. 3. cum Lacedaemoniis conserto ceciderunt, nondum satis est probatum.

Oratt. Ald. I. *R.* V. VI. *B.* I. ed. *Io. Taylor.* c. nott. *Markland.* Lugd. Bat. 1739. 4. * or. select. *I. Hr. Bremi* c. Aeschin. or. c. Ctes. Goth. 1826. 8. (Bibl. gr. scr. or. ped. Vol. XVI.). Or. funebr. in Iacobs. Attica; germ. vert. *Fr. Schlegel* in Mus. Att. I. 2.

§. 51.

Isocrates.

Eloquentiae *patrem* Cicero (de or. II. 3.) nuncupat *Isocratem*, Athenis susceptum Ol. LXXXV. 4. (436). A publica concionum pronuntiatione is quidem abstinuit

(Cic. l. c. Plin. epp. VI. 29.), schola vero apud Chios post Athenis aperta tanto docuit successu, ut „ex ea, tanquam ex equo Trojano, meri principes exirent." (Cic. de or. II. 22.). Nuntio autem cladis Atheniensium in proelio apud Chaeroneam allato, fame mortem sibi accivit Ol. CX. 3. (338). Sicut opera ejus summae diligentiae nota sunt insignita, quam anxietatem vocat Dionysius Halic., ita terso, nitido et faceto dicendi genere ac sermone casto nulli cedunt, Lysiacis tamen altius assurgunt. (Cic. Brut. 8. or. 13. 51. 52. 61. Quint. X, 1, 79.). Principem inter orationes XXI superstites locum obtinet *Panegyricus*, Graecorum ad rempublicam contra Persas defendendam convocatio. (Cf. Quint. X, 4, 4.).

Ed. pr. *Dem. Chalcondylae*, Mediol. 1493. f. Ald. III. (*Paul. Manut.* 1534. f.) *Hi. Wolf.* e. n. Basil. 1570. f. *Athan. Auger.* Par. 1782. III. 4. et 8. *Adam. Coray.* Par. 1807. II. 8. *Bekk.* II. (* ed. comp. *Dind.* Lps. 1825. 12.) *Paneg. S. F. Morus* et *Spohn.* Lps. 1817. 8. *G. Dindorf.* Lps. 1826. 8. (* ed. comp. *Gust. Pinzger*, Lps. 1825. 12.) or. de permutat. part. pr. ed. *A. Mustoxydes.* Mediol. 1812. 8. *Io. Ca. Orelli.* Turic. 1814. 8. Pan. germ. vert. *Wieland.* in Mus. Att. I. 1. (Dionysii de Isocr. jud. germ. v. *Fr. Schlegel* in Mus. Att. I. 3.)

§. 52.

Isaeus. Lycurgus.

Facundia sua aetatem non minus ornarunt *Isaeus* c. Ol. XCV. (400), Demosthenis magister, cujus sermonem candidum sed generosum explicant orationes XI *hereditariae*, et *Lycurgus* Ol. XCIII - CXIII. (408 - 328), Platonis et Isocratis discipulus, cum Demosthene acerbissimus Philippi adversarius, qui tanta fuit apud suos auctoritate, mortui ut liberi publicis sumtibus alerentur. Fervidi hujus et semper sibi instantis oratoris una tantum superest *contra Leocratem* oratio, quatuordecim aliae perierunt.

Is. Ald. I. II. *Reisk.* VII. *Bekk.* III. de Cleonymi hered. pr. ed. *Ang. Majus.* Mediol. 1815. 8. de Meneclis hered. pr. ed. *Th. Tyrwhitt.* Lond. 1785. 8. *I. C. Orelli* post Isocr. de perm. — *Lyc.* Ald. *Io. Taylor* c. Demosth. or. Mid. Reiske c. nott. Tayl. IV. Bekk III. * *C. Fr. Heinrich.* Bonn. 1821. 8. * *G. A. Becker.* Magd. 1821. 8. *Fr. Osann.* Ien. 1821. 8. Gr. et Germ. *G. Pinzger.* Lps. 1824. 8.

§. 53.

Demosthenes.

„At plane quidem perfectum et cui nihil admodum desit, *Demosthenem* facile dixeris." (Cic. Brut. 9.). Natalis huic pagus erat Paeanium in Attica, ubi primam vidit lucem Ol. XCVIII. 4. (385). Vitam autem ipse sibi abstulit Ol. CXIV. 3. (322) veneno in Calauria insula proxima Argolidi sumto, ne Antipatris in manus incideret. Optimorum magistrorum cura ab omnibus instructus, quae oratoriae artis cognitione imbuere queant, naturam habuit eloquentiae infestissimam adversatricem, quam qua perseverantia et sagacitate superaverit, incredibile est et portenti simile (Cic. de or. I. 61. de div. II. 46.). Et tanto simul exarsit ille patriae amore, ut Philippo Macedoni repugnare acerrimo nisu non vereretur fortissimeque resisteret. Omnium autem nactus est plausum ac prope venerationem summa compositionis vi et argumentatione diligentissime elaborata cum limatissima expositione, ut pedibus ire in sententiam paene cogamur; adde sublimitatem, impetum, gravitatem; quorum neminem major incessit admiratio quam Ciceronem (v. Brut. l. c. orat. 7. 30. rel. Quint. X, 1, 76.). Ac praeterquam quod elate ut plurimum edisserit, plebis simul ingenio et captui satisfacit. Numerantur ejus orationes LXI integrae, accensis, quae aperte sunt suppositae, ut *contra Aristogitonem, Philippica quarta, de foedere cum Alexandro.* Inter germanas praefulgent forenses illae *de corona, adversus Leptinem, in Midiam.* (*Philippicae*).

Ed. pr. Ven. Ald. 1504. f. *Hi. Wolf* c. comm. Ulpian. e. n. Bas. 1572. f. (Fcf. 1604. f.) c. Aesch. *Io. Taylor.* Tom. II. et III. Cantbr. 1748. 57. 4. *Reiske.* ed. n. cur. *Schaefer.* Lond. 1822-25. III. 8. appar. ib. 1824-26. III. 8. *Reisk.* Oratt. I. II. IX. XII. *Bekk.* IV. V. (* ed. comp. *Dind.* Lps. 1825. 12. III. 8.) adv. Lept. *Fr. A. Wolf.* Hal. 1789. 8. de cor. gr. l. *G. Chph. Harless.* e. n. Lps. 1814. 8. *E. F. C. Wunderlich* c. Aesch. c. Ctes. e. nss. Gott. 1826. 8. *Imm. Bekker.* Berol. 1825. 8. in Mid. (cum Lyc.) *Taylor.* Cant. 1743. 8. * *Ph. Buttmann.* Berol. 1822. 8. * *Philipp. Bekk.* e. n. Ber. 1825. 8. Phil. I. Olynth. III. et de pace *C. A. Rüdiger.* Lps. 1818. 8. Orr. polit. germ. v. *Fr. Iacobs.* Lps. 1805. 8. III Olynth. *Idem* in Mus. Att. IV. 2. Dem. et Aesch. de cor. *Fr. de Raumer.* Berol. 1811. 8. (Becker, Bremi, Goeller.)

§. 54.

Aeschines. Dinarchus. Hyperides. Demades.

Secundae a Demosthene deferuntur aemulo gloriae et obtrectatori *Aeschini*, qui oratione coronaria prostratus a Demosthene Rhodum decessit exul Ol. CXII. (330), Sami animam efflavit. Legationis jure Philippum aggressus Ol. CVIII. (344), clam ei adminicula suggessit et consilia. Conciones, quae exstant, *contra Ctesiphontem, de falsa legatione, contra Timarchum* ostendunt oratorem versutum, fortem, pure et nitide scribendi peritum, at calumniosum et fallacem. (Or. c. Ctes. lat. vert. Cicero v. de opt. gen. or. 5-7. Cf. Quint. X, 1, 77. XII, 10, 23. Cic. de or. III. 7.) — *Dinarchi* Corinthii orationes III *in Demosthenem, Aristogitonem* et *Philoclem* accusatoriae vigore non carent. Clarior tamen fuit *Hyperides* Atticus, qui eodem, quo Demosthenes, anno Antipatris jussu vita est privatus. Sed quam fiducia quadam ipsi adscribere possis, ne una quidem suppetit oratio. Acumen ejus laudat Cicero (de or. III. 7. cll. Quint. X, 1, 77. II, 15, 9.). — Nobilis aliquantum *Demades* (Cic. or. 26. Quint. II, 17, 13. XII, 10, 49.), sed facundia magis quam moribus. Quae sub ejus nomine fertur, orationis fides in disceptationem vocata.

Aesch. ed. pr. Ald. I. *Reisk.* III. IV. *Bekk.* II. c. Dem. *Taylor.* * *I. H. Bremi.* Turic. 1823. sq. II. 8. (* ed. comp. *Dind.* 1824.) c. Ctes. * *Bremi*, c. Lys. Goth. 1826. 8. * *Wunderlich* c. Dem.; germ. *de Raumer.* c. Dem. — *Din.* Ald. I. *R.* IV. VIII. *B.* III. *C. E. A. Schmidt.* Lps. 1826. 8. — *Dem.* or. ὑπὲρ τῆς δωδεκαετείας Ald. *R.* IV. *B.* III.

3. Philosophia.

§. 55.

Iones. Pythagorei. Eleatae.

Philosophiae cultura quemadmodum jam pridem philosophorum scholis multum erat aucta (§. 27. ss.), ita continuo illarum certamine et aemulatione in dies magis crevit et profecit. Thaletis praeceptis constitit *Anaxagoras* Clazomenius Ol. LXX. 1. — LXXXVIII. 1. (500-427), Periclis praeceptor (Plat. Phaedr. p. 270. A. Cic. or. 4. Br. 11. de or. III. 34.), qui mentis infinitae (νοῦ) vi mundum regi primus statuit (Cic. de N. D. I. 11.).

Pythagorae doctrina in Graecia Magna longe lateque fluebat. Libelli περὶ τῆς τοῦ παντὸς φύσεως auctor perhibetur *Ocellus* e Lucania oriundus c. Ol. LXXII. (480); *Timaei* Locri nomen fert opusculum περὶ ψυχᾶς κόσμω dorice scriptum; similes proditae disquisitiones ab *Archyta* Tarentino c. Ol. LXXXVIII. (Cic. de fin. V. 29.) ejusque discipulo *Philolao*, Crotone nato, Platonis praeceptore. — Xenophanis sententias suas fecerunt *Parmenides* (§. 4.) et *Zeno*, Elea ortus, *Dialecticae* auctor c. Ol. LXXVIII. (466). Sed prior ille et venerabilis Eleatum familia mox *recentiori* partes cessit, naturam experientiae ope definienti et designanti, cujus rationem sistentes, atomorum s. corporum individuorum concursu de pleno atque inani omnia gigni demonstrant *Leucippus* et *Democritus* Abderensis c. Ol. LXXXIII. (Cic. de N. D. I. 24. Acad. IV. 37.).

Anax. fgm. coll. *E. Schaubach.* Lps. 1826. 8. — *Ocell.* ed. *A. F. G. Rudolphi.* Lps. 1801. 8. De *Philol.* expos. fgm. coll. *A. Boeckh.* Berol. 1819. 8.

§. 56.

Sophistae.

Tum ingenua philosophandi ratio, qua philosophorum Atticorum animi fruebantur nullo mentis aditu obstructo, tum dialectice disserendi scientia per Zenonem inducta, quae Athenis quasi tabernaculum collocaverat, conjunctis viribus promovebant *Sophistarum* studia. Erat autem hoc genus hominum Periclis aetate rhetoricae potissimum et prudentiae civili docendae deditum; nec minus illa facultate excellebant, qua diversissimis argumentis in utramque partem pari utebantur fortuna defendentes vel rejicientes, quam summa ratiocinandi sollertia et eloquendi arte; quo factum, ut auditorum animi vires intenderent ad subtilius perscrutandum et discernendum. At nugas et ampullas mature jam aucupati et avaritiae sordibus oppleti falsa venditabant pro veris, juvenum voluntatem tabida inficientes peste. Quare in contemtum sensim abiit Sophistarum nomen. (*Gorgias* Leontinus, *Protagoras* Abderensis, *Prodicus* Ceus, *Hippias* Elide ortus. Προβλήματα, λύσεις. Cf. Cic. or. 11. 12. Brut. 8. de or. I. 22. III. 16. Acad. II. 23. de fin. II. 1. Quintil. III, 1, 10. 11. Plat. Phaed. p. 60. sq. Phaedr.

p. 267. etc. Isocr. Paneg. 1. *Jac. Geel* histor. crit. Sophistar. in Nov. Actt. Traject. vol. II. 1823.)

§. 57.

Socrates.

Ut vero morum corruptioni et perversitati, qualis vigebat Athenis profligato ac confecto bello Graecorum civili, ob vexationes maxime concionatorum et injurias, impedimentum inferretur et mora, opus erat viro, cui suppeteret animi ardor et impetus, qui sceleris praestigiis vultu obstaret intrepido. Talis fuit *Socrates*, Sophronisci filius, nat. Ol. LXXVII. 4. (469), exstinctus in carcere Ol. XCV. 1. (399) exhausto veneni poculo. Unicam is curam adhibebat, ut honesti et decori amorem inflammaret ac propelleret (Cic. Tusc. V. 4.) idque eo feliciori successu, quo ipse illustrius edidit exemplar incorruptae probitatis. Ita philosophorum familiae quanquam se auctorem non cupiebat videri, quemcunque tamen consilia dando, praeceptis firmando, voce exhortando, bonis implere studebat voluntatis inclinationibus. Cui quidem communis cujusdam intelligentiae et morum emendationis studio quum insignis ex continentia et veritate accederet cumulus (Cic. Acad. I. 7.), Sophistarum fallaciis non potuit ille non multum obesse (Cic. Brut. 8). Nulla idem littera relicta rectius veriusque cogitandi ac sentiendi exemplum professus, perfectioris de summis rebus scribendi sapientiae exstitit magister. (Cic. de or. III. 16. Xenoph., Plato; Luzac, Delbrück al.)

§. 58.

Socratici.

Socraticorum nomine ii comprehendebantur, qui Socratis principia et decreta litteris consignando et ore circumferendo spargerent ac disseminarent. Quorum ad rationem se applicat *Xenophon* in Memorabilibus et Apologia (§. 45.), tum *Aeschines* Atheniensis c. Ol. XCVI.; quem ipsum tamen auctorem vix vere profitentur dialogi III *de virtute*, *Eryxias* s. *de divitiis*, *Axiochus* s. *de morte non metuenda*, quorum unus alterve ad *Simonem* quendam est delegatus, tum *Cebes* Thebanus,

cujus superest Πίναξ s. *Tabula* sistens imaginem vitae humanae et morum diversorum oratione immutata compositam.

Aesch. in edd. Plat. vett. *I. Fr. Fischer.* ed. III. Lps. 1786. 8. (1788) et in: Simonis Socr. ut videtur diall. IV. rec. *A. Boeckh.* Heid. 1810. 8. — *Ceb.* e codd. *Iac. Gronov.* Amst. 1689. 8. c. Epictet. enchir. *Io. Schweighaeuser.* Argent. 1806. 12. (Klopfer.)

§. 59.

Megarici. Cyrenaici. Cynici.

Socraticae doctrinae principiis paulatim deformatis, immo discussis, novae in lucem vocari coeperunt philosophorum scholae, quarum *prima* ab *Euclide* Megarensi c. Ol. XCVI. nomen accepit *Megaricae*, nonnumquam et *eristica* dicta ob contentionis dialecticae cupidinem, summumque bonum id esse statuit, quod simile sit et idem semper; *secunda*, quae Aristippo Cyrenensi Ol. XCVII. originem debuit, *Cyrenaica*, in voluptate posuit finem bonorum ac summam (Ἡδονικοὶ); tertia, *Antisthenem* Atheniensem (cf. Xen. Mem. I. 5. 3. 12. 4. 5.) parentem venerata, *Cynicam* dico (κυνόσαργες), honestissimum vitae genus esse voluit naturae aptissimum etiamsi durissimum. (Cf. Cic. Acad. IV. 42. de or. III. 17.). Praeceptoris sententiam usu aliquantum invertit *Diogenes* e Sinope Ol. XCI. 3-CXIV. 1. (413-323.)

§. 60.

Academia. Plato.

Nemo unquam Socratis ingenium verbis et imitatione splendidius expressit quam *Plato* ille *divinus* (Cic. N. D. II. 12. Tusc. I. 32.), Aristonis filius (Aristocles), *Academiae* parens Ol. LXXXVII. 3. — Ol. CVIII. 1. (330-347). Socratis, quem vivum nunquam fere dereliquerat, post mortem animum itineribus in Italiam, Siciliam, Aegyptum factis perpoliit et quasi exaggeravit; Athenas reversus magistri rationes publica professus est institutione scriptisque, ita tamen, ut tum in plura transferret, tum disciplinae in modum instrueret, tum de suo adderet, tum dialogi in formam redigeret. Persuasissimum habens, cogitandi et sentiendi supremum

finem nonnisi quaerendum esse in virtute, quae sit sapientia, moderatio, constantia, justitia, nec posse vera inveniri, nec cupidines reprimi illa neglecta, numinis divini naturam sibi videtur bene facta remunerantis mala punientis suspicione attingere. Sed totum amplexus philosophiae campum, de universo non minus luculenter agit a deo *idearum* ope creato, cujus dux quasi et caput fuit anima mundi. Nec disputationis forma prohibet, quo minus elocutio altitudinem ubique servet, ac rei maneat accommodata; oratio mirifice comta et ad poeticum colorem accedens. (Cic. or. 20. de re publ. II. 11. Quint. X, 1, 81. Val. Max. VIII, 7, 3.). Inter LVII dialogos, quibus pepercit vetustas, exiguam tantum partem ab aliis esse inculcatam, nunc speramus non amplius negatum iri. Eminent praeter ceteros *Phaedo, Convivium, Gorgias, de re publica, Timaeus, Critias.* — *Priori Academiae* post auctorem praesunt *Speusippus,* Platonis ex sorore nepos et *Xenocrates* Chalcedone natus (Cic. Acad. I, 4. 11. II, 39. N. D. I, 13. *Polemo, Crates* al.).

Pl. opp. ed. pr. lat. per *Marsil. Ficin.* Flor. (1482?) f. gr. Ven. Ald. 1513. f. *Henr. Steph.* Par. 1578. III. f. ed. Bipont. 1781-87. XI. 8. *Imm. Bekker.* Berol. 1816-18. III. pp. in VIII voll. comm. cr. et sch. Ber. 1823. II. 8. *Fr. Ast.* Lps. 1819-26. VIII. 8. (nond. abs. *ed. comp. *Gdfr. Stallbaum.* Lps. 1819-25. VIII. 8. acc. var. lect. IV. 8.) dial. sel. *I. Fr. Fischer* e. III. Lps. 1783. 8. *Ld. Fr. Heindorf.* Ber. 1802-10. IV. 8. **Stallbaum.* Vol. I. Goth. 1827. 8. (B. gr. ped. Vol. XI.) *IV. diall. *Ph. Buttmann.* e. nss. Ber. 1822. 8. *F. G. Engelhardt.* Berol. 1826. 8. (*edd. comp. IV dial. *Heind.* e. n. cur. *Buttmann.* Ber. 1820. 8. III dial. gr. et l. *F. A. Wolf.* Ber. 1820. 4. et 8.) Conviv. c. nott. germ. *Wolf.* Lps. 1782. 8. (*ed. comp. *Dind.* Lps. 1824. 8.) Phaedo *Dan. Wyttenbach.* Lugd. B. 1810. Lps. 1825. 8. Phileb. *Stallbaum* e. n. Lps. 1826. Eutyphro *Stallbaum* ib. 1823. 8. Ion. *G. G. Nitzsch.* Lps. 1822. 8. (Ast, Loers, Iacobs in Socr.) Opp. germ. v. *Fr. Schleiermacher.* e. n. Ber. 1817-26. V. 8. Schol. ed. *Ruhnken. Gaisford.* (Ast, Boeckh, Socher, Morgenstern, Thiersch, Heusde, Bast, Tennemann, Dilthey, Cph. Schneider. al.).

§. 61.

Mathesis. Medicina. — Epistolae.

Doctrinae quidem cancellis nondum circumscribebatur *Mathesis* s. Geometriae studium, sed fundamentis tamen a Pythagora positis alia adjecerunt Archytas, Philolaus, Plato. Nec dum suae illi erant litterae, unum

si *Autolyci* libellum de sphaera exceperis (*Meton*, numeri aurei et cycli XVIII annorum inventor, *Eudoxi* Cnidii speculae astronomicae). — *Sanandi artem* in Thessalia et Peloponneso ut arcanam diu factitavit Asclepiadarum familia sacerdotalis, donec *Hippocrates*, natus in Co insula Ol. LXXX. 1. (460) e Hippocratum Asclepiadarum gente, disciplinam constituit medicam et schola in urbe patria instructa in commune vocavit. Naturae vires et leges sedulo perscrutatus corporis humani pleniorem inde hausit cognitionem. (Plat. Phaedr. p. 270. C.) E multis ejus commentariis jonica dialecto exaratis notissimi septem *Aphorismorum* libri. — *Epistolae Isocratis, Demosthenis, Aeschinis, Platonis*, quae feruntur, si non omnes, quod vix videtur, multae tamen fraudulentos fabricatores coarguunt.

Hipp. ed. pr. Ald. 1526. f. *Anut. Foesius.* e. p. Genev. 1657. f. *van Linden.* Lugd. 1665. II. 8. Ven. 1757. II. 4. c. Galen. *Ren. Charter.* Lutet. 1679. ss. XIII pp. in IX voll. f. *Alb. Haller.* Lausan. 1784. IV. 8. *C. Gtlo. Kühn.* Lps. 1825. ss. III. 8. (Erotiani, Galeni et al. Glossar. ed. *Franz.* Lps. 1780. 8.; Sprengel de H.) — *Aesch. Isocr. Dem.* epp. in *Bekk.* Oratt. Att. *Plat.* in opp. ed. *Bekker.* al.

Aetas tertia.

Ab Ol. CXI. ad a. CXVII. p. Chr.

§. 62.

Summarium.

Litteris Graecis ad summum jam fastigium provectis et ubique partium prorsus fere excultis nil amplius deesse visum, nisi quod magna scientiarum pars careret specie illa et methodo severiore, qua litterae ad disciplinarum modum magis formantur et augentur. Hoc contigit aetati *tertiae*, in qua princeps erat et quasi dux *Aristoteles*, quum in eo excelleret, ut philosophicam primus disciplinam conderet et ad fines suos revocaret. Verum etiam accidit, ut mutata rerum publicarum fortuna et mores et instituta mutarentur. Amissa in illo certamine, quod cum Macedonia gessit, libertate, civilibus dissensionibus jam dudum praecisa, aliis civitatibus primas cessit Graecia, quae antea artium et litterarum magistra fuit; post eversas Alexandro mortuo Macedonici imperii vires, eo altissime surrexit nova *Alexandriae* litterarum sedes, quod Graeci liberi inter eruditos arbitrii loco servitium quoddam scientiarum ponebant, ex contentione de principatu ortum, Alexandrini contra quam maxime diversis et splendidis doctrinae adjumentis instruebantur.

§. 63.

Alexandrini.

Nam Alexandriae Ptolemaeus Lagi *Bibliothecam* comparavit fere quadringentorum millium voluminum, simul et *Museum* condidit ut virorum doctissimorum receptaculum (*Bruchion*); Ptolemaeus autem Philadelphus alteram congessit librorum copiam in *Serapeo*, circiter centum quinquaginta millia continentem. Pari studio accensi mox et Attali Pergameni (Eumenes II. Attalus

II.) urbem *Pergamum* inclitam reddere parabant. Ita eluxit Alexandrinorum aetas, in qua doctrinae amplitudo, multa lectione comparata, ardor scientiarum, litteratura eruditione critica moderata exceperant ingenium, sensum naturalem, artem nulla regula obstrictam. Dialecto atticae successit *communis* quaedam, pejoris notae, (*κοινὴ*, *ἑλληνικὴ γλῶσσα*), ex qua prodiit *macedonico-alexandrina*. — Nec vero litterae artesque in singulis quibusdam Graeciae civitatibus non floruerunt; Athenis philosophia, Rhodi eloquentia praecelluit; exeunte tamen aetate Romam illustres undique viri confluere jam coeperunt.

I. Poesis.

§. 64.

Unum tantum in ipsa Musarum patria sede nascitur et superest poesis genus, *Comoedia nova*. Drama quoque satyricum non plane interiisse credibile est (*Sositheus*). Sed ne in uno quidem reliquorum generum feliciter laborarunt Graeci poetae, ita ut poesis fere tota Alexandriam transmigraret et Alexandrini jure quodam ejus restitutores vocentur. Et merita quidem his tribuitur laus in eo, quod passim, velut in carmine heroico, ipsius dispositionis, versus, numeri virtutes et elegantiam servarunt, et novum genus, *bucolicum*, produxerunt; sed infitias ire non possumus, formae studio ipsum ingenium hebetatum et imitando naturae ipsius debilitatem minus tectam fuisse.

§. 65.

1. *Drama.*

Nova comoedia (§. 37.) veteris indolem plane abjecit; pro veris argumentis et ad reipublicae statum pertinentibus commentitia proponit et adumbrata; fictis nominibus addit mores fictos, ab hominum consuetudine alienos ejusque finibus minus circumscriptos, quibus in scenam actis probos sensus et hilaritatem gignere studet; omnino caret choro. Terete et polito lepore ornarunt sua *Menander* Atheniensis, inter Ol. CIX. et CXXII. (342 - 90), Terentii exemplum, et *Philemo* e Solis Ciliciensibus ortus, Ol. CXXIX. 3. (262) defunctus (*Di-*

philus, *Philippides*). De *Plejade Tragicorum Alexandrinorum* parum constat (Strabo XIV. p. 675.). Haud contemnendis reliquiis solus notissimus est *Lycophron* Chalcidicus circa Ol. CXXIII. (284), *Cassandrae* s. *Alexandrae* poeta, μονῳδίας, qua Priami filia Trojae et multorum aequalium interitum canit. Quod carmen jambicum quum fabularum mythicarum et rerum antiquariarum cognitioni largam materiem praebeat, non raro tamen obscuritate laborat; pro ingenio et nativa simplicitate docta loquacitas inest. (Commentarii *Isaaci* et *Johannis Tzetzarum*.)

Men. et *Phil.* reliqu. ed. *Aug.* *Meineke*. Berol. 1823. 8. Phileleutheri Lipsiens. (*Rich. Bentley*) emendatt. e. n. Cantabr. 1714. 8. — (De Plej. scr. *Naeke* in Sched. crit.) — *Lyc.* ed. pr. c. Pind. Call. et al. Ald. 1513. 8. e schol. Tzetz. *Io. Potter*. Oxon. 1697. 1702. f. gr. et l. *H. G. Reichard.* Lps. 1788. 8. (*Niebuhr* in Mus. Rhen. I.). *Tzetz.* schol. ed. *Chr. Gdfr. Müller*. Lps. 1811. III. 8.

§. 66.

2. *Carmen bucolicum*.

Simplex illa et naturae praeceptis accommodatior vitae ratio, qua usi erant Siciliae pastores, simplicem nec vero non dulcem modulationis cantuumque ritum procreaverat, qui quum jam prius mimis originem dedisset, nunc et carmen pastoricium s. *bucolicum* genuit. Hoc vero continebantur descriptiones vitae pastoralis, narrationibus contextae, ac saepe more dramatico compositae. Inter poetas, qui eo in genere excelluerunt, princeps est *Theocritus* Syracusanus c. Ol. CXXV. (279), cujus *idyllia*, vigoris eadem et mollis sensus plena, animum tenerum nobilemque spirant. E triginta, quae supersunt, carminibus, magnam partem epicam et lyricam indolem resonantibus et dialecto dorica jonismis mixta scriptis, pauca novimus supposititia. Theocritus reliquit et XXX epigrammata. — Ut non assequantur, aemulantur tamen illum haud dissimili ingenio *Bion* et *Moschus* aequales itidemque Syracusis oriundi.

Theocr. ed. pr. XVIII id. c. Hesiod. et Isocr. (Mediol. 1493. f.) XXX id. Ven. Ald. 1495. f. c. schol. *Zach. Calliergi*. Rom. 1516. 8. *Th. Warton*. Oxon. 1770. II. 4. X id. *L. Casp. Valckenaer*. Lugd. B. 1773. e. n. 1810. 8. c. Bion. et M. *Valck.* Lugd. 1779. 1810. repet. c. nott. Brunck et Toup. cur. *Hein-*

dorf. Ber. 1810. II. 8. *Gaisford.* Poet. gr. min. Tom. II. et IV. *Thph. Kiessling.* Lps. 1819. 8. *I. A. Iacobs.* Tom. I. Hal. 1825. 8. (* Edd. comp. *Fr. Iacobs.* e. mvss. Goth. 1821. *I. A. Iacobs*, Hal. 1818. *G. H. Schaefer*, Lps. 1809. 12. *A. Meineke.* Lps. 1825; H. Voss, Spohn, Eichstaedt). — *Bion* et *Mosch.* sine Th. *I. Heskin.* Ox. 1748. 8. (* edd. comp. *Fr. Iacobs.* Goth. 1795. 8. c. Theocr. *I. A. Iacobs*, *Mein.*, *Schaef.*) germ. v. *I. C. F. Manso.* e. n. Lps. 1807. 8. c. Th. *I. H. Voss.* Tub. 1808. 8. (Cf. Manso in Additt. ad Sulzer. I.)

§. 67.

3. *Carmen lyricum et elegia.*

Clariorum hujus aetatis elegicorum tempore princeps videtur *Philetas* Cous circ. Ol. CXVIII. (307), Propertii deliciae, quemadmodum et *Callimachus*, qui mentis acumine illum superavit. Vixit quidem Callimachus, Cyrenae natus et inter grammaticos notissimus, Alexandriae in Museo c. Ol. CXXV. (280). Qui quum industria et studio insignis esset, majorem etiam laudem e doctrina multa et varia habuit. (Quint. X. 1. 58.). Et hymnos cecinit et elegias; illi, quorum sex restant, sermonis quidem poetici puritatem et scientiam, nec vero spiritum divinum significant; ex elegiis multa interierunt. (*Αἴτια*, carmen epicum, Ibis contra Apollon. Rh., scripta gramm). — Quibus accedunt *Hermesianax* et *Phanocles*, fama quam reliquiis illustriores. — Huc numerandus et *Cleanthis*, Asso Troadis urbi nati, c. Ol. CXXIX. (262), Athenis Zenonis scholas frequentantis, hymnus *in Jovem*, insignis sensus elatione.

Philet. fgm. coll. *C. Ph. Kayser.* Gott. 1793. 8. — *Call.* c. nott. Graev. Bentl. et comm. Ez. Spanhem. ed. *I. A. Ernesti.* Lugd. B. 1761. IV. 8. *C. I. Blomfield.* Lond. 1815. 8. (*I. Fr. Boissonade.* in coll. Poet. vol. VIII.) hymn. Apoll. c. em. *L. C. Valckenaerii* et interpr. lat. *L. Santen.* Lgd. B. 1787. 8. eleg. fgm. coll. *Valck.* ed. *I. Luzac.* Lgd. B. 1799. 8. (Göttling.; Nachtr. z. Sulz. II.). — *Cleanth.* in *Brunck.* Gnom.; ed. *F. G. Sturz.* Lps. 1785. 4. gr. et germ. *G. E. Fr. Mohnike.* Gryphisw. 1813. 8. Boisson. l. c.

§. 68.

4. *Epos.*

Antiquissimorum poetarum, Homeri praesertim, exemplum inter Alexandrinos novum poesis *heroicae* amo-

amorem et indefessum imitandi studium incendit. Argumentorum quidem epicorum series extensa est, sed ad ea, quae poeticum ornamentum respuebant. Saepissime vero imitatio in lucem prodiit; cui etsi numeri, versuum, dictionis castigatam rationem debemus, dolemus tamen perditam inveniendi facultatem. Qui prae ceteris in ea re princeps est, *Apollonius*, Callimachi discipulus, natus est Alexandriae. Ubi quum scripta sua opinione asperius accepta sensisset, hanc rem aegre ferens, Rhodum se contulit, ut rhetoricae scholam aperiret, unde Rhodii cognomen traxit. Ol. CXLVI, 1. (196) Alexandriam rediit, bibliothecae praepositus. Reliquit Argonauticorum ll. IV „non contemnendum opus aequali quadam mediocritate" (Quint. X, 1, 54.) cum laudabili purae orationis et versuum elegantium studio exaratum.

Ap. ed. pr. c. schol. Flor. 1496. 4. Ald. 1521. 8. *R. F. Ph. Brunck.* Arg. 1780. 4 et 8. rep. c. nov. schol. cur. *G. H. Schaefer.* Lps. 1810-12. II. 8. (Weichert, Groddeck, Ed. Gerhard; Nachtr. z. Sulz. VI. Encycl. Hal.)

§. 69.

5. *Carmen didacticum.*

Diligentissime initio poesis *didactica* Alexandriae coli coepit, at mirabilibus interdum rebus gaudens. *Aratus*, Solensis Cilix, Antigono Gonatae familiaris c. Ol. CXXVII. (270) operosum condidit carmen hexametrum de siderum cursu et potestate (*Φαινόμενα καὶ Διοσημεῖα*), quod ipse rei astronomicae rudis ex Eudoxi scripto quodam soluta oratione composito in vinctam transtulisse fertur. (De Cicerone, Germanico Caesare et Avieno, Arati interpretibus v. Cic. de or. I. 16. de N. D. II. 41. Cf. de re publ. I, 14. 36.). Similis argumenti sunt *Catasterismi Eratosthenis* Grammatici (de quo v. §. 81.). *Nicandri*, Colophone orti, circa Ol. CLV. (160), medici et grammatici Pergameni, supersunt *Theriaca* s. de bestiis venenatis et *Alexipharmaca*, de remediis adversus venena, quorum exstat *Eutecnii* paraphrasis; alia perditum ierunt, ut et *Georgica*, quibus Virgilius exemplo usus dicitur (Cic. de or. l. c. Quint. X, 1, 56.). Et orbis terrarum descriptiones carmine expositae sunt a *Scymno* Chio (90 a. Chr.) trimetris, a *Dionysio Periegete*, Agrippae comite, hexametris versibus, hoc illi praestan-

te. (Dion. περιήγησ. lat. interpr. *Avienus* et *Priscianus*. scholiastes *Eustathius*).

Arat. ed. pr. Ald. 1499. f. gr. et l. c. schol. *I. Th. Buhle.* Lps. 1793. 1801. II. 8. c. *Dionys. Per.* et *Eratosth.* ed. *Fr. Chr. Matthiae.* Fcf. ad M. 1817. 8. ed. *Ph. Buttmann.* Berol. 1826. 8. gr. et germ. *I. H. Voss.* Heidb. 1824. 8. — *Nic.* opp. ed. pr. c. Dioscorid. Ald. 1499. f. Alex. *I. Gle. Schneider.* Hal. 1792. 8. Ther. *Schn.* Lps. 1816. 8. — *Scymn.* in *Io. Hudson.* Geogr. min. Vol. II. — *Dionys.* ed. pr. gr. et l. Ferrar. 1512. 4. Ald. c. Pindar. 1513. 8. *Ed. Thwaites.* Ox. 1697. 8. *I. Hudson.* Ox. 1710. 1717. 8. et in Geogr. m. IV. * *Frc. Passow.* Lps. 1825. 12. germ. v. *G. G. Bredow* in l. inscr. Nachgelass. Schrift. 1816. 8.

§. 70.

6. *Carmina mixta, epigrammata.*

Inter eos, qui ampliore quodam carmine varias res inter se composuerunt, enumerandus est potissimum *Euphorion* Chalcidensis, qui circa Ol. CXL. (220) Antiocho M. e bibliothecae praefectis erat, poeta doctissimus et Romanis magni habitus (cf. Cic. Tusc. III, 19. Virg. Ecl. X, 50. Serv. ad Ecl. VI, 72. Quint. X, 1, 56.) sed severus et subobscurus. Scripsit *Μοψοπίας* s. *Συμμίκτων* ll. V, quibus diversa, maximam partem mythologica, continebantur, quorum pleraque interierunt. — Sed minorum carminum exstitit genus quoddam antea nondum excultum, *Epigrammatum*, quorum ea est natura, ut sententiolas eximias veste poëtica induant et abscise at concinne explicent, serias quidem ac graves, a ludibrio magis alienas, quam sunt, quibus Romanorum et nostratium epigramma ornatur. *Callimachum* epigrammata composuisse jam vidimus. Suis aliena annectere primus coepit *Meleager* Gadara Syriac oriundus, sub finem secundi a. Chr. saeculi, qui lepidam congessit *coronam* (*Στέφανον*) e carminibus sex et quadraginta poetarum. Cujus rationes imitati plures dehinc *Anthologias* exhibuerunt, quorum in numero sunt *Philippus* Thessalonicensis et *Straton.* Quam vero nunc proprie Anthologiam appellamus, habet illa quidem, anno 1606 p. Chr. in lucem protracta, auctorem *Constantinum Cephalam,* virum saec. X. clarum, cujus post mortem a *Maximo Planude* c. 1330. aliter digesta, aucta et resecta est.

Mel. in *Brunck.* Analect. I.; *I. C. Fr. Manso.* Ien. 1789.

8. *Fr. Graefe.* Lps. 1811. 8. Anth. Ceph. ll. III (ed. *I. I. Reiske*) Lps. 1754. 8. Anth. Planud. ed. pr. *Ian. Lascaris.* Flor. 1494. 4. Ald. e. nvss. 1550. 8. *Hier. de Bosch.* Ultraj. 1795. ss. III. 4. (Obss. 1810. 22. II. 4.). Anth. C. et Pl. *Brunck.* Analect. vett. poet. (Argt. 1772-76. III. 8.) rep. cur. *Fr. Iacobs.* (Anthol. gr.) Lps. 1794. ss. V. 8. Animadvv. VI-XIII. Anth. gr. cod. Palat. *Iacobs.* Lps. 1813-17. IV. 8. *delect. epigr. *Iac.* Goth. 1826. 8. (Bibl. gr. Poet. Vol. XX. *sel. ed. comp. *A. Weichert.* Misen. 1823. 8.) Germ. multa vert. *Iac.* in Tempe et Vermischte Schr. II. (Huschke, Welcker; cf. Enc. Hal.)

§. 71.

7. *Carmina ludicra. Parodiae. Silli.*

Quemadmodum et varia carminum figura, ovo, ara, bipenni, aliis ludentes, seria quidam jocosis commutare studuerant (*Simmias*, *Dosiadas*), ita haec joci hilaritatisque affectatio in cavillationem quoque abiit, quam *parodiam* dicimus. Hujus generis erat Ἱλαροτραγῳδία *Rhinthonis* Tarentini, speciem quidem tragoediae prae se ferens, at ita, ut risum moveret. Huc pertinent etiam *Silli*, itidem hexametris pedibus conditi, satirica carmina philosophici argumenti, quorum auctor *Xenophanes* dicitur. Quam poesin qui deinceps excoluit, *Timon* Phliasius, c. Ol. CXXVII. (272), philosophiae scepticae assectator, dogmaticorum fastum derisit. Ex omnibus pauca reliqua.

Simm. et *Dos.* ep. *Cl. Salmas.* Par. 1619. 4. in Brunck. Anal. (Ios. Scaliger in Opp. posth.) — *Sillor.* fgm. in *Br.* An. II. (Woelke, Paul.)

II. Soluta oratio.

1. Philologia.

§. 72.

Praecipuum, quo Alexandrini praestare studebant ceteris litterarum cultoribus, meritum cernitur in eo, quod in honorem adducebant, scientiarum latissime patentium cognitionem sibi acquirere. Quem quidem finem optime assecuturos se putabant, si aevi praeteriti splendore perculsi ejusque reliquiarum virtute inflammati indefessum subtilissimumque laborem impenderent, illa ut

ab omni parte explicarent, emendarent, illustrarent, eum eoque simul diversissimas sermonis, interpretationis et criticae praecepta frequenti indagatione eruta connecterent. Ita prodiit *Grammatica*, quam sensu latiore dicunt. Grammaticorum autem erat primum optima quaeque deligere scriptoresque in canones digerere (Aristarchus, Aristophanes), tum de germana aut supposititia praestantiorum librorum natura inquirere, tum textus a corruptorum naevis liberare et novas recensiones parare, deinde loca difficilia ope historiae et antiquitatum enodare, denique linguae ac singularum vocum rationes explorare atque in lexicis promere, postremo rerum memoratu dignissimarum e veterum scriptis farraginem cumulare, in ordinem redigere, contraria comparando et exponendo illuminare. Inter Grammaticorum numerum praeter *Lycophronem*, *Callimachum*, *Aratum*, *Apollonium Rhodium* inprimis recensemus *Zenodotum* Ephesium, primum Homeri διορθώτην, c. Ol. CXXIV. (278), *Aristophanem* Byzantium, qui accentus introduxisse traditur, *Aristarchum* Samothracem c. Ol. CLXI. (154), Aristophanis discipulum inter doctissimos, *Cratem* Mallotem, Aristarchi adversarium Pergami docentem, qui omnes carminum Homericorum recensiones edebant; tum *Didymum*, *Dionysium Thracem*, inter eos, qui linguae leges perscrutabantur, valde insignem, alios.

Dion. Thr. τέχνη γραμμ. c. schol. *Choerobosc.* et al. inest *Imm. Bekker.* Anecdotis gr. (Berol. 1814-21. III. 8.) Tom. II. — Cf. *F. A. Wolf.* Prolegom. Homer. p. CLXXXXIX. sq. (Heyne, Matter.)

2. Philosophia.

§. 73.

Aristoteles.

Ut quaecumque fere litterae severiores ratione disciplinarum tractarentur, *philosophia* inprimis effecit, postquam *Aristotelem* eximium moderatorem, compositorem et amplificatorem est nacta. Is, Stagirae in Macedonia natus Ol. XCVIII. 4. (385), Platonis scholis interfuit inde ab Ol. CIII. 2. (367), tum Alexandri M. praeceptor factus, post ejus mortem iterum Athenas docturus se contulit et diem obiit Chalcide Euboeae Ol.

CXIV. 3. (322). Summam in eo industriam posuit, ut scientias philosophicas antea dispersas colligeret collectisque *disciplinam* philosophiae conderet. Studia, quibus sublimem suam eruditionem prodidit, quamquam natura sua inter se vehementer differant, ubique tamen interior nexus investigatus et limites arcte definiti; quare congruunt solidis nisi principiis. Quin parentem praedicant eundem ipsum plures scientiae humanae partes, maxime historia naturalis. In Περιπάτῳ erudiens scholae *Peripateticae* auctor factus. Scriptorum viri hujus ingenio feracissimo praediti laudatissima sunt *Organon*, *Metaphysica*, ex parte corrupta, *Moralia ad Nicomachum*, *Moralia magna*, *Historia animalium*, *Physica auscultatio*, *de partibus animalium*, *Poetica*, cujus pars tantum videtur superesse, *Rhetorica*, *Politica*; inter perdita *Politiarum* jactura apprime lugenda (Cic. de fin. V. 4.).

Opp. ed. pr. gr. c. Theophrast. Ven. Ald. 1495-98. V. fol. (1551. VI. 8.) *Fr. Sylburg.* Fcf. ad M. 1584-87. V tom. in XI pp. 4. *Is. Casaubon.* Lugd. 1590. II. f. *Guil. du Val* e. n. Par. 1639. IV. f. gr. l. *Io. Tph. Buhle.* Bipont. 1791-1800. (non abs.) Metaph. *Chr. A. Brandis.* Vol. I. Ber. 1823. 8. Ethic. Nicom. gr. l. *Car. Zell.* Heidb. 1821. II. 8. *A. C(oray).* Par. 1822. 8. Hist. an. *I. Glo. Schneider.* Lps. 1815. ss. IV. 8. Poet. *Th. Tyrwhitt.* Ox. 1794. 4 et 8. (1806) *G. Hermann.* Lps. 1802. 8. *E. A. G. Graefenhan.* Lps. 1821. 8. Rhet. (* *Garve* et *F. V. Reiz*) Lps. 1772. 8. gr. l. Ox. 1820. II. 8. Polit. *Schneider.* Fcf. ad V. 1809. II. 8. *C. G. Goettling.* Ien. 1824. 8. germ. v. *Garve* c. nott. *Fülleborn.* Vrat. 1799. 1801. II. 8. Quaestion. mechan. *Ptr. van Capelle.* Amst. 1812. 8. Categor. *E. Lewald.* Hdb. 1824. 8. Oeconomica (dubia) *Schneid.* Lps. 1815. 8. De mirab. auscultation. (dub.) *I. Beckmann.* Gott. 1787. 4. de somno al. *G. A. Becker.* Lps. 1823. 8. de politia Carthag. *F. G. Kluge.* Vrat. 1824. 8. (Buhle, Brandis, Vater, Titze al.)

§. 74.

Peripatetici. Sceptici. Epicurei.

Aristotelis successorum agmen ducit *Theophrastus*, Eresius dictus ab Ereso, Lesbi urbe, c. Ol. CXIV. (322), magister Atheniensis inclitissimus. Neque is non est ingenio sollerti, egregie culto, multiplici eminentique facundia (Quint. X, 1, 83. Cic. Or. 19.). E multitudine scriptorum ejus pauca supersunt, in iis *Historiae plantarum* ll. X in calce mutili, *de causis pl.* ll. VI

(desunt duo) et *Morum Notationes* (Ἠθικοὶ Χαρακτῆρες), quae pristinam formam non servarunt, et fragmenta operum deperditorum de statu civitatum et legibus, al. — (*Eudemus*, *Strato*; de Aristoxeno v. §. 77.). — Sed tantum abfuit, ut haec qualiacunque ab omnibus viris doctis probarentur, ut non modo existerent, qui omnem sciendi et sentiendi finem ac fructum dubios ambiguosque censerent (*Sceptici* a Dogmaticis diversi, — *Pyrrho* Eleus, *Timon*), sed aliae quoque Aristotelicam exciperent sectae, quarum duae, *Epicurea* et *Stoica*, Cyrenaicam et Cynicam mutato nomine et dilatatis praeceptis sequerentur. *Epicurus*, natus Gargetti prope Athenas Ol. CIX. 3. (342), mort. Ol. CXXVII. 2. (271), Lampsaci et Athenis docentis munere fungens, voluptatem summum bonum posuit et praesidium ad vitam beatam, verum ita, ut nec impure vivas, nec in illa sola omnem felicitatem quaeras. Quod quum multi asseclae perperam intelligerent, factum, ut honestam illius famam sua inhonesta vita spurcarent. In *Physicis* Epicurus res atomis ortas statuit. Epistolae superstites et fragmenta librorum *de natura* parvi aestimantur. (Κύριαι δόξαι).

Theophr. opp. botan. ed. pr. Ald. c. Aristot. (§. 73.) *I. G. Schneider.* Lps. 1818-21. V. 8. hist. pl. *Bodaeus a Stapel.* Amst. 1644. f. c. libr. de caus. pl. *Schneid.* Lps. 1822. 8. char. *Is. Casaubon.* Lugd. 1592. 8. saep. rep. * *I. I. H. Nast.* Stuttg. 1791. 8. *Schneid.* Ien. 1799. 8. (* ed. min. ib. eod.) *Fr. Ast.* Lps. 1816. 8. (* ed. min. ib. eod.) V char. integr. et XVI ch. partt. restit. *Chr. Wurm* in *Thiersch.* Actt. Monac. III, 3. — *Epic.* Phys. et Meteorol. *Schneid.* Lps. 1813. 8. fgm. de nat. *I. Co. Orell.* Lps. 1818. 8.

§. 75.

Stoici.

Philosophia *Stoicorum* etsi a Cynica originem trahebat, aliquantum tamen discrepabat. Virtutem, quam exerceas, quum bona ratione agas, solam esse sapientiam atque honestatem, ideoque summum bonum, vitio summum malum gigni ajebant (cf. Cic. de off. III, 8. de fin. III, 2, 4. etc.); ut vita prudenter utaris, opus esse sensuum continentia et illecebrarum voluptatis vacuitate. Sectae illius caput *Zeno* erat, Citii, urbe in insula Cypro, natus Ol. CIV. 3. (361), defunctus, ut videtur,

Ol. CXXIX. 1. (264), qui Socraticorum scriptorum lectione incensus, Athenas migravit ibique in Poecile (*Στοά*) docuit, lecta juventum corona cinctus. Philosophiam in tres partes dividit, Logicam sive Dialecticam, Physicam et Ethicam; scripti nil relictum. Magistri vestigiis institerunt *Cleanthes* et *Chrysippus*. (*Panaetius*; *Posidonius*, Ciceronis praeceptor (§. 77. 80.); *Musonius Rufus*.)

Muson. fgm. in *Wyttb.* Philomath. p. I. II. (diss. de M. Amst. 1783. 4.) ed. *Venhuizen Peerlkamp.* Harlem. 1822. 8.

§. 76.

Academia media et recentior, Platonici.

A Stoicis differebat *Academia media*, quam *Arcesilaus* instituerat circa Ol. CXX. (300), et *recentior*, a *Carneade* c. Ol. CLVI. (155) condita, quae, quod verum et ratione judicatum videretur, gravius examinarent et luculentius distinguerent (cf. Cic. de re publ. III. 5. ss. Acad. I. 12. sq.). Carneades aliquamdiu et Romae scholas habuit. — Inter philosophos hujus aevi et *Philonem* Judaeum perhibemus, a. 41. p. Chr. apud Caligulam delegati munere fungentem, ob *Platonica* praecepta, quibus Judaeorum sententias de numine divino nobilitare studebat; praecipue vero *Plutarchum* Chaeroneum (cf. §. 83.) propter *Moralia* (numerantur autem XCII, non exclusis iis, quae Plutarcho abjudicantur), quibus decori et honesti sensus et animus ab omni dedecore alienissimus aperitur.

Philon. opp. ad ed. *Th. Mangey* cur. *A. Fr. Pfeiffer.* Erlang. 1785-92. V. 8. (non abs.) de virtute al. pr. ed. *A. Majus.* Mediol. 1816. 8. de Cophinii festo, de colend. parent. al. *Idem* ib. 1818. 8. — Plut. §. 83.

3. Scientiae mathematicae et physicae.

§. 77.

Quum jam Aristoteles, Theophrastus aliique Peripatetici id praestitissent, ut mathesis et naturae cognitio certis quibusdam fundamentis superstruerentur et disciplinae in modum traderentur, et *Aristoxenus* Tarentinus de re musica primus accurate disseruisset, rei calculum imposuit *Euclides*, Alexandriae docens Ol. CXVIII.

(308), quem disciplinae mathematicae auctorem jure possis nominare. Hic immortali *Στοιχείων* s. *Elementorum* opere, XV libris comprenso, tantam laudem gloriamque sibi acquisivit, ut et nunc geometrorum princeps censeatur. Opus illud, ab *Hypsicle* absolutum et a *Theone* auctum, commentario illustravit *Proclus* Lycius. Singulas mathesis partes feliciter exposuerunt *Aristarchus* Samius, *Apollonius Pergaeus* (*Eutocius*), *Eratosthenes* (§. 84.) et *Archimedes* Syracusius, occisus Ol. CXLII. 1. (212) in patria urbe ab hostibus obsessa. Mechanicae disciplinam egregie tractavit *Hero*, Ctesibii discipulus, c. Ol. CXLI., complurium machinarum inventor, in libro amisso, cui nomen erat *Εἰσαγωγαὶ μηχανικαὶ* (Particulas quasdam excerpsit *Pappus* in *Collectionibus mathematicis*). — Post Aratum, Eratosthenem et Posidonium (Cic. N. D. II. 34.), quibus *Cleomedem* accensueris (*Κυκλικῆς θεωρίας μετεώρων* ll. II) astrorum scientia plurimum profecit ab *Aristarcho* supra laudato c. Ol. CXXIX. (264), qui terram circa solem et axem suam moveri docuit (*Περὶ μεγεθῶν καὶ ἀποστημάτων*); tum a *Hipparcho*, qui primus aequinoctia observavit Ol. CLIV. 3.-162. (diagramma Hipparchi; *Catalogus stellarum inerrantium*; *Commentarius in Eudoxi* et *Arati Phaenomena* ll. III). — Inserimus *Aeneae Tactici* c. Ol. CIV. (364) et *Onosandri* (38. p. Chr.) nomina, propter *Tacticam* ab iis bene excultam. — Non perinde doctrina de rebus naturae processit, quandoquidem *Antigoni Carystii* (278 a. Chr.) narratio mirabilium parum ad ingenium colendum valet. — Huc referimus etiam medicos ea aetate clarissimos *Pedanium Dioscoridem* c. 40. p. Chr., cui plurimum debet Materia Medica (c. 64) et *Aretaeum* Cappadocem, artis medendi peritissimum descriptorem. (*Archigenes*, *Asclepiades*).

Aristox. elem. harmon. in *M. Meibom.* antiqu. musicae auctorr. Amst. 1652. 4. fgm. ed. *Ic. Morell.* Venet. 1785. 8. (Mahne). — *Euclid.* opp. gr. et lat. ed. *Dav. Gregor.* Oxon. 1703. f. gr. l. et gall. *Fr. Peyrard.* Paris. 1814-18. III. 4. * gr. ed. *I. G. C. Neide.* Hal. 1825. 8. *E. F. August.* Berol. 1826. II. 8. el. ll. VI prior. gr. et l. *Ia. Camerer.* Tom. II. Berol. 1824. sqq. 8. (nond. absol.). — *Apoll.* Conicor. ll. VIII c. *Eutoc.* comm. gr. et l. ed. *Edm. Halley.* Oxon. 1710. f. inclinatt. ll. II ed. et restit. *S. Horsley.* Ox. 1770. 4. germ. *G. A. Diesterweg.* Bonn. 1822. 8. de section. ratione lat. ed.

Halley, Ox. 1706. 8. germ. *Diest*, Berol. 1823. 8. — *Archim.* opp. c. Eutoc. gr. et l. ed. *Abr. Robertson.* Ox. 1792. fol. gall. *Peyrard.* Par. 1806. 4. 1808. II. 8. Germ. c. comm. *Ern. Nizze.* Strals. 1825. 4. — *Arist.* gr. et l. *Io. Wallis* Ox. 1688. 8. — *Hipp.* ed. *Ptr. Victorius.* Flor. 1567. f. *Dionys. Petav.* in Uranolog. Par. 1630. f. — *Aen.* Tactica et de toleranda obsidione pr. ed. *Is. Casaub.* c. Polyb. Par. 1609. f. de t. obs. *I. Co. Orellius.* Lps. 1817. 8. — *Onos.* Στρατηγικὸς *Nic. Schwebel.* Norimb. 1762. f. — *Antig.* Car. hist. mirab. ed. *Io. Beckmann.* Lps. 1791. 4. — *Dioscor.* περὶ ὕλης ἰατρικῆς ll. VI rec. *I. A. Saracenus.* Frcf. 1598. f. — *Aret.* de caus. et signis acutor. morb. ll. IV, de curatione ac m. ll. IV *Herm. Boerhaave.* Lugd. B. 1731. f. *Archig.* fgm. in Analectt. de Arch. et Apollon. ed. *Chr. Fr. Harless.* Bamb. 1816. 4.

4. Historia.

§. 78.

Historiarum Alexandri scriptores.

„Hoc fuit ingenium saeculi Macedonici, sub Alexandro ejusque successoribus, ut historiae forma in pejus mutaretur, materia excoleretur et amplificaretur. Neque enim veteribus se historia continuit finibus, regum populorumque rebus gestis, sed protulit se ad origines et progressus artium ac disciplinarum, atque adeo hominum in illis cum laude versatorum vitas complexa est." (*Wyttenbach.* praef. ad Select. Histor. gr. p. XV., Opuscul. sel. ed. Friedemann. T. I. p. 206. sq.). Ceterum magnus exstitit numerus eorum, qui Alexandri M. historias scripserunt; sed ex his paucissimorum fragmenta eaque sola supersunt, quibus quantum aberraverint a simplici illa fide historica et probi honestique commendatione luculentissime patet. (*Hieronymus Cardianus, Aristobulus, Ptolemaeus Lagi* 284. a. Chr. et al.).

§. 79.

Timaeus. Berosus. Manetho. Marmor Parium. Polybius.

Insigniores inter variarum narrationum auctores temporum ratione sequuntur *Timaeus* Siculus, ab Agathocle exsilio mulctatus c. Ol. CXX. (300), qui historiam rerum Italicarum et Sicularum concinnavit (Cf. Cic. de or. II. 41. Brut. 95. epp. ad fam. V. 12.), *Berosus*

Chaldaeus, cujus ll. III *fastorum de antiquitatibus Chaldaicis et Babylonicis* non minus interierunt, quam *Manethonis* Diospolitani Aegyptii, itidem sacerdotis, *rerum Aegyptiarum* ll. III (utriusque reliquias servarunt Josephus, Eusebius, Syncellus), nec silentio praetereundum videtur *Marmor Parium* vel *Arundelianum*, incerti quidem auctoris sed ejusdem cum Beroso et Manethone aetatis, c. Ol. CXXIX. 1. (264), enumerationem rerum a Graecis gestarum inde a primis Atheniensium regionibus continens. Omnes vero vicit *Polybius* Megalopolitanus Arcadius (204 - 120. a. Chr.), Lycortae filius. Is duce Philopoemene ad rem publicam mature accessit ibique virtute sua excelluit; quum vero Romani mille lectissimos juvenes Achaeos obsides sibi tradi jussissent, in eorum numerum et ille relatus Romam migravit ibique Scipionis Minoris familiari consuetudine per multos annos est usus. Quo mortuo in patriam rediit, et uberibus subsidiis instructus *historiam universalem* conscripsit a secundo bello punico usque ad Macedoniam Perseo regnante subactam, XL libris confectam, quorum quinque priores integri servantur, ceteri, praeter summaria librorum VI-XVII., temporis injuria nobis erepti sunt. (Singularium de bello Numantino commentariorum mentionem infert Cic. epp. fam. V, 12, 5.). Polybius *pragmatico* inprimis historiae scribendae generi studet, rerum civilium acerrimus indagator, veri catus et ab omni partium studio alienus investigator, causarum callidus et ad unguem assiduus animadversor; interdum quidem nec concinnus nec elegans, nec fucata dicendi ratione satis abstinens; ceterum in singulis eruditus, in exquirendis temporibus diligentissimus (Cic. de re publ. II. 14.) et „bonus auctor inprimis." (Cic. off. III. 32.)

Timaei fgm. in *Fr. Goeller.* de situ Syracusar. l. Lps. 1818. 8. — *Berosi* fgm. hist. ed. *I. D. Guil. Richter.* Lps. 1825. 8. — *Manethon.* fgm. h. in Ios. Scaligeri op. de emend. temp. — *Marmor Par. Ch. Chandler.* Ox. 1736. f. *G. Roberts* Oxon. 1791. 8. germ. v. *C. Fr. Chr. Wagner.* Gott. 1790. 8. — *Polyb.* ed. pr. l. I-V. lat. per. *Nic. Perott.* Rom. 1473. f. *Is. Casaubon.* Paris. 1609. f. *I. A. Ernesti.* Lps. et Vindb. 1763. sq. III. 8. *Ioh. Schweighäuser.* Lps. 1789-95. VIII. 8. (Lehner, Lucas).

§. 80.

Posidonius. Dionysius Halicarnassensis.

Qui opus inceptum nec absolutum continuans Polybium excepit, *Posidonius* Apameensis (τῶν μετὰ τὸν Πολύβιον ll. LII), Panaetii erat discipulus, Pompeji et Ciceronis, dum Rhodi degunt, magister (cf. Cic. de nat. d. I, 3. epp. ad Att. II, 1. de off. III, 2.). — Aliquanto post successit *Dionysius* a *Halicarnasso* in Caria oriundus. Ab anno 31 usque ad 9 a. Chr. Romae vivens, popularibus suis opus consecravit Ἀρχαιολογίας Ῥωμαϊκῆς ll. XX. s. de rebus Romanorum domesticis et externis, ab antiquissimis temporibus initio facto, bellum Punicum primum ultimo loco complectens, cujus XI priores libri (ad ann. 312. a. Chr. usque) interitum fugerunt, adde et commentaria quaedam de rebus ad dialecticam pertinentibus, inter quae praestantia illa *de arte rhetorica* et fragmenta mixti argumenti. Ad historicam ipsius si spectaveris virtutem, suspiciendus videtur propter accuratam et distinctam expositionem; in eo, quod de antiquitate remotiore tulit, judicio modo cautiore quam qua Livius utitur ratiocinatione, modo et ipse deceptus inconsideratiores fallit.

Posid. Rhod. reliquias coll. et *Wyttenb.* suisque ann. ill. *Ianus Bake.* Lugd. B. 1810. 8. — *Dion. Hal.* opp. ed. pr. gr. *Rob. Stephan.* Lut. Par. 1546. f. *Fr. Sylburg.* Fcf. Wech. 1586. f. *Io. Ia. Reiske.* Lps. 1774-77. VI. 8. Rom. ant. part. desiderat. restit. *A. Majus.* Mediol 1816. (Fcf. ad M. 1817.) 8. (spur. cens. *C. L. Struve*) περὶ συνθέσεως ὀνομάτων ed. *God. Henr. Schaefer.* Lps. 1808. 8. *Frc. Goetler.* Ien. 1816. 8. τέχνη ῥητ. *H. A. Schott.* Lps. 1804. 8. historiographica h. e. epist. de Plat. II ad Ammaeum de Thucyd. ad Tuberon. ed. *C. Guil. Krüger.* Hal. 1823. 8.

§. 81.

Diodorus Siculus.

Eodem, quo Dionysius, tempore floruit *Diodorus,* Argyrii Siciliae natus. Multis in Europa et Asia itineribus peractis exaravit historiam notissimorum imperiorum, *Bibliothecam historicam* inscriptam, in XL libros divisam, res gestas enarrantem a Troja capta usque ad a. 60. a. Chr.; nostra vero aetate integri tantum exstant ll. V priores cum decem aliis, undecimo usque ad vi-

gesimum, illi quidem quam plurimum fabulis de gentium originibus contexti, hi narratione rerum a Xerxis in Graeciam descensione ad successorum usque Alexandri aetatem gestarum constricti; e ceteris paucae particulae. Mira in his conspicitur colligendi industria, sed nec satis provida fontium perlustratio, nec vel eorum, quae ipse expertus est, sana contemplatio: orationis laudanda facilitas, notanda haud raro negligentia.

Ed. pr. lat. ll. I-V. c. Tac. Germ. ed. *Frc. Poggius.* Bonon. 1472. f. ll. quae sups. gr. *H. Stephan.* Par. 1559. f. *Petr. Wesseling.* Amst. 1745. II. f. ex. rec. Wess. ed. *Ier. Nic. Eyring.* Bip. 1793-1800. X. 8. *Henr. Car. Ab. Eichstaedt.* Hal. 1800-2. II. 8. nond. abs. (* ed. comp. *Dindorf.* Lps. 1826. IV. 8.)

§. 82.

Nicolaus Damascenus. Josephus.

Qui seriem continuat, *Nicolaus Damascenus*, philosophus Peripateticus aequalis aevi, pertexuit *historiam universalem* CXLII libris comprehensam, quorum jacturam si dolemus, merito id facere videmur, quantum quidem ex reliquiis judicare licet; eos, qui specialem alicujus gentis historiam scripserunt, ordine sequitur *Flavius Josephus* Hierosolymis natus, c. a. 37. p. Chr. Captivo Vespasianus libertatem reddidit; eundem illum Titus secum Hierosolyma duxit, quorum obsidionem VII libris *de bello Judaico* exposuit, ab ipso postea e hebraico sermone in graecum translatis. Serius his annexi *Archaeologiae Judaicae* ll. XX historici argumenti et duo ejusdem generis opera.

Nic. Dam. hist. excerpta et fgm. ed. *Io. Co. Orellius.* Lps. 1804. supplem. c. nott. Coray, Creuz., Schweigh. ed. O. Lps. 1811. 8. — *Ios.* opp. ed. *Sigeb. Havercamp.* Amst. 1726. II. fol. (* *C. E. Richter.* Lps. 1826. II. 8. nond. abs.)

§. 83.

Plutarchus.

Si majorem vitae partem respexeris, in hanc aetatem incidit *Plutarchus* Chaeronensis (50-120. p. Chr.), vir eximius, Hadriani praeceptor. Omissis reliquis hujus scriptis (v. §. 76.) hic memoramus *Vitas Parallelas Graecorum et Romanorum illustrium* XLIV, quibus omnium, quae

posteritati tradidit, plurimum delectationis inesse facile judicaveris, similesque aliquot minores libellos, *Apophthegmata* (acutos ingenii motus), commentarios antiquarios, *de Iside* et *Osiri*, alia. Aegre quemquam inveneris, in quo diversissima quaeque arctius inter se cohaereant; stupendae idem eruditionis scientiaeque, nec nunquam a gravi et sedato judicio alienus; multum meditatus et sensu amplexus, at interdum subobscurus, inconditus, inelegans; verum amoenissima narrationis fusae dulcedine cum morum et indolis castitate insignis.

Ed. pr. Moral. Venet. Ald. 1509. f. Vit. par. Flor. Iunt. 1517. f. Opp. *Henr. Steph.* 1572. XIII. 8. Fcf. Wechel. 1599. 1620. II. f. *Io. Ia. Reiske.* Lps. 1774-79. XII. 8. *I. G. Hutten.* 1791-1805. XIV. 8. Vit. *Ad. Coray.* Par. 1809-11. III. 8. (*Edd. comp. e *G. H. Schaeferi* rec. Lps. Weigel. 1821. IX. 8. Lps. Teubn. Vol. I. 1825.) *IV vit. in us. sch. *G. G. Bredow.* ed. IV. Alton. 1821. 8. (germ. v. *Bredow.* e. n. Alton. 1824. 8.) *Demosth. et Cic. in *Dan. Wyttenbach.* Selectis principum historic. ed. II. Amst. 1808. 8. *Ages. c. Xenoph. Ag. *Car. Baumgarten-Crusius.* Lps. 1812. 8. Alcib. *I. Fel. Chr. Baehr.* Heidb. 1822. 8. Philopoemen, Pyrrh., Flam. *Baehr.* Lps. 1826. 8. Moralia rec. *Wyttenbach.* Oxon. 1795-1810. VI. 4. XII. 8. Tom. I. p. 1. 2. rep. Lps. 1796-99. 8. (Animadvv. Lps. 1820. 21. II. 8.) de sera numinis vindicta ed. *Wyttb.* Lugd. Bat. 1772. 8. (Heeren.)

5. Geographia.

§. 84.

Alexandri M. expeditiones quum ingentem novarum et memorabilium rerum copiam exhibuissent, fieri non poterat, quin terras minus dum notas descriptasve accuratius explorandi cupido augeretur et majorem in modum succresceret. Ita et disciplinae in modum formari geographiae contigit Alexandrinorum studio, quorum qui primus hoc expugnaverit, *Eratosthenem* Cyrenaicum (276-196. a. Chr.), doctum grammaticum, simul chronologiae vere auctorem dicere fas est, pariter mathematicis et astronomicis fundamentis superstructae. (Γεωγραφουμένων ll. III). Nec defuerunt, qui itinera facta describerent, ut *Agatharchides* Cnidius (407-88), qui mare rubrum ejusque regiones depinxit, alii vel poetica veste usi. (v. §. 69.) Praestantiorem vero nullum novimus *Strabone* Amaseae Ponti nato, c. a. 60. a. Chr. Ab hoc primum certa principia discentium in rationem

secuto orbem terrarum antiquum descriptum patet. Quare ob amplissimas ex unaquaque eruditionis parte cognitiones et judicium acerrimum non minus quam ob elocutionis gratiam summam habent sui commendationem *Geographicorum* ll. XVII, quorum septimi, qui est de Thracia ac Macedonia, partem temporis invidia delevit, nonum de Graecia mutilavit.

Eratosthenica ed. *G. Bernhardy*. Berol. 1822. 8. *Agath.* in *Hudson*. Geogr. min. Tom. I. — *Strab.* ed. pr. Ald. 1526. f. *Is. Casaubon.* iter. Par. 1620. f. c. nott. Cas. et al. *T. Ianss. ab Almeloveen.* Amst. 1707. f. *I. Ph. Siebenkees.* contin. *C. Henr. Tzschukke* et *Fr. Tg. Friedemann.* Lps. 1796-1818. VII. 8. (nond. abs.) *Th. Falconer.* Oxon. 1807. II. f. *Ad. Coray.* Par. 1815-19. IV. 8. gall. v. *de la Porte du Theil* et *Coray.* Par. 1805. ss. V. 4. (Tyrwhitt, Heeren.)

6. Eloquentia.

§. 85.

Sicut in aliis rebus, in hoc quoque non exiguam quaerebant Alexandrini laudem, quod eloquentiam ad solidas rationes adstringi iisque constitutis festivius coli voluerunt. Quo quidem studio factum est, ut naturalis ille orationis candor evanesceret nec artificiosiore istorum et vero affectato dicendi genere compensaretur. Jamque inceperunt exercitationis causa orationes de argumentis fictis compositas habere ac perscribere. Inter ipsos hujus aevi oratores eminet *Demetrius Phalereus* Atticus a. 318. Athenis praefectus, expulsus (307) et Alexandriae defunctus (284), cujus quidem orationes interierunt (cf. Cic. Or. 27. Quint. X, 1, 80.); libelli *de elocutione* (περὶ ἑρμηνείας) suppositi auctorem profitentur *Tiberium* Rhetorem. Accedunt *Lesbonactis* Sophistae, a Grammatico distinguendi, Tiberii imperatoris aequalis, duae *declamationes* politicae, et *Dionis Chrysostomi* Prusensis Bithyni c. 100. p. Chr. *octoginta orationes* de rebus philosophicis, ethicis, politicis, ex parte sublimioris indolis et purioris dictionis.

Dem. s. Tib. de el. ed. pr. in Rhet. gr. Ald. Ven. 1508. f. *I. G. Schneider.* Altb. 1779. 8. Tib. de fig. c. Ruf. *I. F. Boissonade.* Lond. 1815. 8. — *Lesb.* in Rh. Ald. *Reisk.* Or. gr. VIII. *Bekk.* V. *I. C. Orellius.* Lps. 1820. 8. *Dio Chr.* rec. *I. I. Reiske.* Lps. 1784. II. 8. or. VIII ed. *F. N. Baguet.* Lovan. 1823. 8.

7. Mythographia.

§. 86.

Qui tum primum rationem *mythorum* exponebant, narrando magis quam interpretando operam dabant. *Heraclitum* (Ἀλληγορίαι Ὁμηρικαί, περὶ ἀπίστων), *Palaephatum* (περὶ ἀπ.), *Cononem*, *Parthenium* Nicaeensem c. 25. p. Chr. (περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων) pondere vincit *Apollodorus* Atheniensis c. 140 a. Chr. Praeter historicum Χρονικῶν opus deperditum reliquit *Bibliothecae* fabularum Graecarum antiquissimarum libros XXIV; sed et horum desunt XXI.

Iunctim in *Th. Gale.* opusc. mythol. phys. ethic. Amst. 1688. 8. et *Ej.* hist. poetic. scr. antiqui. Lond. 1676. 8. — *Her.* all. ed. pr. Ald. 1505. f. *Nic. Schow.* Gott. 1782. 8. — **Pal.* incred. *I. Fr. Fischer.* ed. VI. Lps. 1789. 8. — *Con.* narr. ed. *I. A. Kanne.* Gott. 1798. 8. — *Parth.* narr. amator. rec. *Frc. Passow.* Lps. 1824. 8. — *Apoll.* bibl. *C. G. Heyne.* ed. II. Gott. 1802. II. 8. (* ed. comp. *C. C. Sommer.* Rudolst. 1823. 12.)

Aetas quarta.

Ab a. 117 p. Chr. usque ad a. 1453.

§. 87.

Conspectus.

Fieri non potuit, quin Romae sensim nova Musarum Graecarum templa aperirentur, quum jam Vespasianus Bibliotheca et Academia institutis primam scholam publicam instruxisset, Hadrianus Sophistas, Grammaticos, Rhetores et id genus plures et honore et divitiis ornare incepisset. Imperatorum ergo beneficio larga docendi discendique subsidia patebant hominibus eruditis, praesertim Graecis. Accessit, quod linguae graecae usus, ab ipsis imperatoribus laudatus et ipsorum exemplo commendatus, per inferiorum quoque ordinum cives magis divulgabatur. Nihilominus tantum abfuit, ut litterae Graecae pristinas vires reciperent, ut in dies magis deprimerentur, nec nisi singulae partes prospero successu colerentur. Atticistarum opera linguae rationes et vocum significationes clarius perspectae, non prohibita dictionis corruptione aucta cum litterarum defectu continuo ad occasum festinantium, ex quo secundum Byzantii exstructum erat Caesareum palatium.

I. Poesis.

§. 88.

Laudabiles quosdam in genere didactico et epigrammatico labores si exceperis, nil fere inveneris, quod hanc aetatem ab ingenio poetarum magnopere commendare possit. Praecipue clari sunt *Oppianus* Cilix, sub finem saeculi primi et initium secundi p. Chr., duorum auctor carminum, alterius de *Piscatione* (*Ἁλιευτικῶν* ll. V), alterius de *Venatione* (*Κυνηγετικῶν* ll. IV), quod vero ab aliis Oppiano cuidam Apamecnsi Syro tribuitur:

buitur; tum qui epico genere laborarunt, *Quintus Smyrnaeus* s. *Calaber* circa 480 p. Chr., carminis Παραλειπομένων Ὁμήρῳ inscripti auctor, quo historia expeditionis Trojanae a Hectoris morte ad Graecorum usque reditum continuatur, *Nonnus* Panopolitanus Aegyptius, qui circa a. 500 vixisse videtur et *Dionysiacorum* ll. XLVIII, s. fabulas de Bacchi rebus gestis pertexuit, et novo quodam metri ornatu, ad antiquorum leges strictius aptato, et mythicarum rerum crebro nec injucundo apparatu insignes, at insulsi nonnumquam et tumidi ingenii vestigia promentes (scripsit et paraphrasin poeticam Evangelii S. Johannis); *Coluthus* Nicopolitanus, fabulae de raptu Helenae scriptor cum aequali et populari *Tryphiodoro*, qui Trojae excidium cecinit (Ἰλίου Ἅλωσις), uterque Nonno inferior; denique *Johannes Tzetzes* Grammaticus Constantinopolitanus, c. a. 1180, cujus memoramus *Chiliades* s. Variarum Historiarum ll. VI versibus *politicis* h. e. solutae orationi simillimis, nec quantitatem syllabarum, sed tantum numerum et accentum servantibus, conscriptos, *Allegorias* mythologicas, *Iliaca* s. Antehomerica, Homerica et Posthomerica hexametra. (*Pseudo-Orphica, Proclus* (v. §. 96.), *Musaeus* (v. §. 10.), *Paulus Silentiarius*, al.)

Oppian. Hal. et Cyn. ed. *I. Gttl. Schneider.* iter. Lps. 1813. 8. *Belin du Ballu.* Argt. 1786. 4. Vol. I. Cyn. — *Quint. Sm.* ed. *Th. Ch. Tychsen.* Argt. 1807. II. 8. (Spitzner, Struve). — *Nonn.* ed. *Fr. Graefe.* Lps. 1819. 26. II. 8. (Weichert, Ouwaroff.) Paraphr. ed. *Sylburg.* Heidb. 1596. 8. — *Coluth.* ed. *I. Dn. a Lennep.* Leov. 1747. 8. (ed. n. cur. *Schaefer.* Lps. 1825. 8.) *G. Chr. Harless.* Norb. 1776. 8. *Imm. Bekker.* Ber. 1816. 8. gall. v. *St. Iulien.* Par. 1822. 8. — *Tryph.* ed. *G. H. Schaefer.* Lps. 1809. fol. c. Merrick. et Schaef. nott. *F. A. Wernicke.* Lps. 1819. 8. — *Ioh. Tz.* Chil. ed. *Thph. Kiessling.* Lps. 1826. 8. Anteh. etc. *Fr. Iacobs.* Lps. 1793. 8. *Imm. Bekker.* Berol. 1816. 8. (cf. §§. 65. 91.). — *Paul. Silent.* carm. in therm. Pyth. in *Fr. Iacobs.* Anthol. gr. T. IV.; Ambo ed. *Imm. Bekker.* Berol. 1815. 8. descriptio magnae eccles. et Ambon. c. Io. Gazaeo ed. *Fr. Graefe.* Lps. 1822. 8.

II. Soluta oratio.

§. 89.

De fatis doctrinarum.

Quam diu Romae unius regni sedes et solium esset, et litterae et qualiscunque generis doctrinae diligenter

ibi colebantur, ita tamen, ut jam inde ab Antoninorum aevo (180) scientia subtilior et exquisitior ad interitum festinaret ejusque loco incredibilis rerum litterarumque varietas cum ingenii tenuitate succederet. Quum vero Byzantinorum imperatorum dissoluta et luxurians vita simili morum consuetudinisque peste ac contagio simul optimatium plebisque animos afflavisset penitusque corrupisset, pauci tantum verae doctrinae gravitatem austere sunt tuiti. Nec brevis ille, qui Justiniano debetur, partium quarundam splendor diuturnus esse atque inveterascere potuit. Mox enim clericorum christianorum, praesertim monachorum, barbaries et inscientia in Graecia non minus, quam in reliquis Europae terris tenebras populi animis infixas discutere non modo valuit, sed ne voluit quidem. Postremum autem, Constantinopoli a Turcis capta (1453), et Graecorum imperio in Saracenicum mutato, omnis generis eruditi e Graecia emigrarunt et in Italiam se contulerunt, unde nova litterarum renascentium lux per totam Europam emanavit. Ad doctrinas si respexeris, *grammatica* et *lexicographia* plurimum increverunt; *philosophiae* studium recens conditum; *historia* illius aetatis saltem initio diligentius culta; ex parte etiam *geographia* et *mathesis* progressus fecerunt; *medicinae* et *juris scientiae* vires insignem in modum sunt auctae.

1. Philologi.

§. 90.

Lexicographi.

Philologorum, inprimis *Grammaticorum* opera facile feracissima erat. Studebant autem et thesauris linguae dialectorum (Atticistae), vocum rariorum, vel singulis scriptoribus peculiarium variarumque rerum condendis et syntaxis regulis accuratius proponendis et scriptis praeclaris uberioribus in epitomas redigendis. Simul, id quod nostris temporibus magnum iis attribuit pretium, permultas servarunt scriptorum deperditorum reliquias. Praeterea veterum opera interdum et recitabant et interpretabantur, qua quidem re, si qui alii, instauratores illi Graecarum litterarum Italici summe de propagando per totam Europam antiquitatis studii amore meriti

sunt. Ejusmodi virorum quum maximus sit numerus, excellentiores, tantum seligemus. Ad *Lexicographos* pertinent *Julius Pollux* (*Πολυδεύκης*) e Naucrate Aegyptius, qui c. 180 Athenis docuit et collectionem instituit diversarum ex antiquitate publica et domestica rerum, quae quo nomine insignitae sint exposuit in opere *Onomasticon* inscripto, X libris comprehenso, ad interiorem antiquitatis cognitionem utilissimo; tum *Phrynichus* Bithynius Sophista (*Ἐκλογὴ ῥημάτων καὶ ὀνομάτων Ἀττικῶν*), aequalis cum *Moeride* Atticista (*Λέξεις Ἀττικῶν καὶ Ἑλλήνων*); tum *Timaeus* c. 260 (*Λέξεις Πλατωνικαὶ*), *Valerius Harpocration* Alexandrinus c. 360 (*Lexicon X oratorum Att.* perinsigne), *Ammonius* c. 389, synonymorum scientiae praecipuus auctor (*Περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων*); inprimis *Hesychius* Alex. (c. 400), qui mira cum diligentia non solum ex antiquioribus glossariis, sed etiam sua ipsius lectione assidua juvatus copiosum congessit *L[illegible]tionarium*, quod ex unico codice Veneto saec. XVti habemus valde mutilatum et magnam partem tantummodo excerptum, *Orion* Thebanus Aegyptius, quinto p. Chr. saeculo, antiquissimi *Etymologici* scriptor, *Suidas* dubiae aetatis, uberrimo et vocabulorum et rerum memorabilium thesauro (*Λεξικὸν*) clarus, nec vero non depravato, *Photius*, Patriarcha Constantinopolitanus mort. 891, cujus duo exstant opera, *Bibliotheca* s. *Μυριόβιβλον* excerpta et fragmenta CCLXXX scriptorum, maxime orationum continens, et *Lexicon*, proba electione commendatum; porro *Philemon* (*Λεξικὸν τεχνολογικὸν*), *Johannes Zonaras*, initio saec. XII., lexicographus haud minoris quam Suidas et Hesychius aestimandus, exscriptus a *Phavorino*; *Thomas* Magister (*ἐκλογαὶ ὀνομάτων Ἀττικῶν*); denique auctores *Etymologici Magni* et *Gudiani*, quae a pluribus diversis saeculis collecta videntur, minime tamen exigui grammaticis et interpretibus momenti.

Poll. On. ed. pr. Ald. 1502. fol. edd. *Io. H. Lederlinus* et *Tib. Hemsterhus.* Amst. 1706. fol. — *Phryn.* c. nott. Nunnes., Hoeschel., Ios. Scalig. et de Pauw ed. *Chr. Aug. Lobeck.* Acc. parerga. Lps. 1820. 8. — *Moer.* c. nott. var. *Io. Pierson.* Lugd. B. 1759. 8. — *Tim.* pr. ed. *Dav. Ruhnkenius.* L. B. 1754. 1789. 8. — *Harpocr.* ed. pr. Ald. 1503. f. c. n. Maussac. et H. Valesii *Iac. Gronov.* L. B. 1696. 4. c. nott. prior. intt. Lps. 1824. II. 8. — *Ammon.* ed. pr. Ald. 1497. f. c. al. opuscc. *Lud. Csp. Valckenaer.* Lugd. B. 1739. 4. (rep. cur. *G. H.*

Schaefer. Lps. 1822. 8. — *Hesych.* ed. pr. Ald. cur. Marc. Musuro. 1514. c. nott. var. rec. *Io. Alberti* c. auctar. *Dav. Ruhnkenii.* Lugd. B. 1746-66. II. f. supplem. edit. Albert. ed. *Nic. Schow.* Lps. 1792. 8. (Toup). — *Orion* c. nott. *Larcher.* et *F. A. Wolf.* pr. ed. *Fr. Guil. Sturz.* Lps. 1820. 4. — *Suid.* ed. pr. Mediol. 1499. f. *Lud. Küster.* Cantabr. 1705. III. fol. (Reines. Toup. Schleussner). — *Photii* bibl. ex rec. *Imm. Bekker.* Berol. 1825. II. 4. lex. ed. *God. Hermann.* Lps. 1808. 4. e cod. Galean. *R. Porson.* ed. rep. Lps. 1823. II. 8. (Schleussn.). — *Philem.* quae supers. c. al. simil. ed. *Frid. Osann.* Berol. 1821. 8. — *Zonar.* lex. pr. ed. *I. A. H. Tittmann.* Lps. 1808. II. 4. — (*Phavor.* eclog. in *G. Dindorf.* Grammat. gr. Vol. I. Lps. 1823. 8.). — *Thom. M. I. St. Bernard.* L. B. 1757. 8. — *Etym. M.* ed. pr. Ven. 1499. f. cur. *Fr. Sylburg.* Heidb. 1594. f. rep. Lps. 1816. 4. *Etym. Gud.* et al. c. nott. VV. DD. ad Et. M. pr. ed. *Fr. G. Sturz.* Lps. 1818. 4. — Alia fragm. in *Imm. Bekkeri* Anecdot. gr. Vol. I.

§. 91.

Grammatici. Metrici.

Transeamus ad *Grammaticos* et *Metricos.* Clarissimi erant sub Hadriano et Antonino Pio impp. *Apollonius* Alex., cognomine *Dyscolus,* ejusque filius, *Aelius Herodianus* (c. 161), parente haud inferior, cujus XX ll. *de prosodia* a pluribus (v. c. Constantino Lascari) in epitomen redacti sunt. *Grammaticam* exaravit *Theodosius* c. 300, a variis excerptam; de singulis grammaticae partibus commentati sunt *Arcadius, Gregorius Corinthius* (c. 1150) episcopus (*Manuel Moschopulus, Theodorus Gaza, Constantinus Lascaris* c. 1453.). *De metris* scripserunt *Dracon* Stratonicensis (c. 125) et, qui bonum doctrinae metricae conspectum contexuit, *Hephaestion* Alexandrinus, Hadriani aequalis et Veri imp. praeceptor. Postremum memorandi sunt Scholiastae, inter quos summam facile laudem adeptus est *Eustathius,* archiepiscopus Thessalonicensis (v. §. 13. et 69.).

Apoll. de syntaxi ll. IV ed. *Imm. Bekker.* Berol. 1817. 8. de pronom. lib. pr. ed. *Bekker.* in Museo antiquit. studior. Vol. I. fasc. II. Ber. 1811. et iter. 1814. 8. de conjunctionn. et de adv. pr. ed. *Bekker.* in Anecdd. gr. Vol. II. — *Herodian.* fgm. *Villoison, Bekker* Anecdd. II. *Hermann.* (de emend. gramm. gr.) *G. Dindorf.* (Gramm. gr. Vol. I. Lps. 1823. 8.) H. partition. (ἐπιμερισμοὶ) ed. *I. Fr. Boissonade.* Lond. 1819. 8. — *Theodos.* Canon. in *Bekker.* Anecdd. III. Grammat.

C. Guil. Göttling. Lps. 1822. 8. (Am. Peyron). — *Arcad.* de accent. *Edm. Fr. Barker*. Lps. 1820. 8. (Dindorf. l. l.). — *Greg. Cor.* de dialectis c. nott. Koen., Bast., Boissonade all. ed. *Gd. Hr. Schaefer*. Lps. 1811. 8. — *Man. Mosch.* opusc. gramm. ad calc. Greg. Cor. Schaef.; auctius ed. *F. N. Titze*. Lps. 1822. 8. — *Theod. Gaz.* gramm. Ven. 1495. f. — *Const. Lasc.* Gramm. ed. pr. Mediol. 1476. 4. de octo partt. oration. ed. pr. Ald. s. a. — *Dracon.* de metr. pr. ed. *Gd. Hermann*. c. *Tzetz.* Exeges. in Homeri Iliad. Lps. 1812. 8. append. cont. *Tricham*, *Eliam*, *Herodian*. d. m. ed. *Frc. de Furia*. Lps. 1814. 8. — *Heph.* ed. pr. Iunt. Flor. 1526. 8. *Thom. Gaisford*. Oxon. 1810. 8.

2. Philosophia.

§. 92.

Quemadmodum inter Romanos ipsos imperatorum dominio subactos ob summam et morum perversitatem et libertatis penuriam, facile imminente capitis periculo, philosophiae perexiguus ac paene nullus locus erat, quo alas extendere et in interiores ingenii humani recessus penetrare posset, ita ab Alexandrinis initio nil effectum est ad augendam rationis humanae dignitatem et sublimitatem, nec novae conditae sunt scholae, quum ne priorum quidem auctoritas probe sustineretur. Saeculo demum tertio p. Chr. philosophiae studium aliquantum reviviscere coepit, quum Alexandrini quidam, Platonicorum praeceptorum cupidi novam ex his constituissent doctrinam, commixtam variis opinionum monstris ex Oriente petitis et miraculis animi abstrusi et ebrii (*Neoplatonici*).

§. 93.

Stoici. Sceptici.

Eximium inter *Stoicos* tenet locum *Epictetus*, Hierapoli in Phrygia oriundus, qui, Romae ab Epaphrodito, Neronis liberto, manumissus, quum Domitianus philosophos exulare jussisset, Nicopolin Epiri se contulit. Quo in loco praecepta philosophiae moralis bene et docuit et ipse exercuit, nec vero litteris mandavit, id quod deinde a *Flavio Arriano*, historico et philosopho (§. 99.) factum est. Supersunt *Enchiridion* s. Compendium doctrinae morum et *Dissertationum* (*Διατριβῶν*) s. recitationum Epicteti, ab Arriano consignatarum ll.

IV (quatuor reliqui c. al. scr. interierunt). *M. Aurelius Antoninus* imp. (nat. 121. regn. 161-180), philosophiae studio inprimis addictus, reliquit *Τῶν εἰς ἑαυτὸν ὑποθηκῶν* ll. XII, praecepta et vivendi et imperandi sapienter et moderate concinnata. — *Scepticismum* jam ab Aenesidemo resuscitatum denuo fulsit *Sextus Empiricus*, medicus c. 190., qui Scepticorum doctrinam luculenter explicuit in *Πυῤῥωνειῶν ὑποτυπώσεων ἢ σκεπτικῶν ὑπομνημάτων* ll. III, quibus addidit *Πρὸς τοὺς μαθηματικοὺς* ll. XI, virorum doctorum, philosophorum, geometricorum sententias impugnantes.

Epict. ench. c. *Cebet.* tabula *Dan. Heins.* c. nott. Cl. Salmas. Lugd. B. 1640. 4. Ultraj. 1711. 4. gr. lat. *C. Gul. Heyne.* (sine Ceb.) ed. nov. Dresd. 1783. 8. gr. lat. c. Ceb. *Ioh. Schweighaeuser.* Lps. 1798. 8. Dissertt. *Io. Upton.* Lond. 1741. II. 4. Epicteteae philos. monumenta (c. *Simplicii* comm.) *Schweigh.* Lps. 1799. V. 8. (v. *Arrian.* opp. ed. *Borheck.* vol. III.). — *Anton.* ed. *Th. Gataker.* rep. Traj. ad Rh. 1697. fol. *I. Matth. Schulz.* Tom. I. Slesvic. 1802. 8. (*Lps. Tauchn. 1821. 12.) *Coray.* Par. 1815. 8. — *Sext. Emp.* em. *Io. Alb. Fabricius.* Lps. 1718. fol.

§. 94.

Aristotelici. Platonici.

Fuerunt, qui Aristotelis scripta non solum legerent, sed etiam commentarentur. *Alexander Aphrodisiensis* scholas habuit Athenis et Alexandriae, imperatoribus Severo et Caracalla (*περὶ ψυχῆς* ll. II. *περὶ εἱμαρμένης* l. I, comm. in Aristot.) Sequitur *Simplicius Cilix*, doctissimus Aristotelis et Epicteti commentator. (Peripateticorum in ordinem inserebantur porro *Aristobulus, Andronicus Rhodius, Johannes Philoponus, Michael Psellus, Eustratius, Theodorus Metochita, Georgius Trapezuntius* al.). — A *Philone* jam *quarta*, ab *Antiocho* Ascalonita *quinta Academia* condita erat. Sed posteriores ad ipsa Platonis scripta recesserunt, quae interpretes nacta sunt *Alcinoum*, *Maximum Tyrium* Sophistam c. 200, *Plutarchum*, *Galenum* (*Georgium Gemistum* s. *Plethonem*) et multos alios, quos *Neoplatonicorum* nomine insignitos constat.

Alex. Aphr. de fato c. al. *I. Co. Orell.* Tur. 1824. 8. — *Simplic.* comm. in Arist. phys. auscult. Ven. Ald. 1526. f. in Ar. categor. Bas. 1551. f. in l. IV de coelo. Ven. 1583.

f. (*Valckenaer.* de Aristobulo. Lugd. B. 1806. 4.). — *Theod. Met.* miscellanea ed. *Chr. Gdfr. Müller.* Lps. 1821. 8. — *Alcin.* introd. in Plat. dogmata ed. pr. Ven Ald. 1521. 8. *I. Fr. Fischer* in IV dialogorum Plat. edit. tert. Lps. 1783. 8. — *Max. Tyr.* λόγοι s. dissertatt. XLI ed. sec. *I. Davisii* c. nott. *Markland.* Lond. 1740. 4. rep. cur. *I. I. Reiske.* Lps. 1774. II. 8.

§. 95.

Neoplatonici. Plotinus. Porphyrius. Jamblichus.

A simplici ac sincera Platonis doctrina qui primus recesserit, ut et aliorum praecipue Pythagoreorum, Aegyptiorum, Persicorum philosophorum placita immisceret et mystico obscuroque sensus, affectuum atque imaginationis lusu nativam illam ac veram cogitandi rationem turbaret, haud facile est dictu (*Potamo*, *Ammonius Saccas*). Nobilissimus hujus philosophiae auctor nobis est *Plotinus* Lycopolitanus Aegyptius (205-270), vir sane egregia eruditione, ingenio acerrimo et sensu honesti ac divini altissimo insignis, sed qui saepissime nimio imaginandi ardore captus ad nebulosa omnia et superstitiosa abripi se passus est. Philosophiam *Neoplatonicam* publice Romae docuit. Scripta ejus, LIV libellis composita, a *Porphyrio*, discipulo, postea in VI *Enneadarum* ordinem redacta sunt, quo etiamnum exstant. Is autem *Porphyrius* s. *Malchus*, gente Tyrius, nat. 233 p. Chr., a. 263 Romam profectus per sexennium Plotini scholas audivit, ibique fato cessit a. 305. Praeceptorem secutus est *Jamblichus* Chalcidensis Coelesyriae (obiit 333), partim in praeceptis tradendis partim argumento eligendo (de *vit. Pyth.* lib., qui est primus operis majoris deperditi περὶ τῆς Πυθαγόρου αἱρέσεως ll. X; Προτρεπτικὸς s. Adhortationis ad philos. l. et al.). His adde et *Sallustium* Philosophum.

Plot. ed. pr. lat. p. *Marsil. Ficin.* Flor. 1492. f. gr. Bas. 1580. f. de pulcrit. l. *Fr. Creuzer.* Heidb. 1815. 8. - *Porph.* et *Iambl.* de vita Pyth. c. nott. Holsten. et Rittershus. *Lud. Küster.* Amst. 1707. 4. *Thph. Kiessling.* Lps. 1815. II. 8. *Porph.* de abstinentia ab esu animantium ll. IV *Iac. de Rhoer* Traj. ad Rh. 1767. 4. de antro Nymphar. *R. M. van Goens.* Traj. 1765. 4. ad Marcellam ep. pr. ed. *Angel. Majus* v. Philon. §. 76. *Iambl.* adhort. *Kiessling.* Lps. 1813. 8. comm. in Nicomachi instit. arithmet. *Sam. Tennulius.* Arnh. 1668. 4. de my-

steriis Aegyptior. *A. Th. Gale.* Ox. 1678. f, angl. v. *Th. Taylor.* Lond. 1821. (rariss.). — *Sall.* de diis et mundo c. *Io. Co. Orellius.* Turic. 1821. 8.

§. 96.

Proclus. Marinus. Julianus.

Athenis quoque haec philosophandi ratio patronos suos nacta est, neminem vero fervidiorem, quam *Proclum Lycium* s. *Diadochum*, Syriani discipulum, nat. Constantinopoli a. 412, Athenis defunctum 485, cujus vitam haud ineleganter enarravit *Marinus* successor. Orphica, Zoroastrica et alia hujuscemodi pro divinis sciendi instrumentis venditans, fidem constituit ducem veritatis magistramque, nequaquam rejecta ratione at submissa. Reliquit praeter hymnos quosdam permultos in Platonem commentarios. Quem etsi non defuerunt qui sectarentur, *Hieroclem, Julianum* Imp. (§. 110.), alios dico, fieri tamen non potuit, quin philosophica ista doctrina, quum a Caesaribus christianis valde premeretur, sensim ad occasum vergeret.

Procl. hymn. in Orphic. Flor. Iunt. 1500. 4. *Iacobs.* Anthol. III. Biblioth. der alt. Litt. u. K. I. II. et saep. (Boissonad. VIII.) opp. ed. *Vict. Cousin.* Par. 1820-23. V. 8. in theolog. Plat. ll. VI gr. et lat. *Aem. Portus.* Hamb. 1618. fol. Comm. in Plat. Alcib. I. et Institutio theol. pr. ed. *Frid. Creuzer.* Fcf. ad M. 1820. sq. III. 8. (Et. s. tit. Initia philos. ac theol. ex Platon. fontt. ducta s. *Procli* et *Olympiodori* in Plat. comm. etc. Vol. IV. 1825. continet *Nicolai Methonens.* refutation. theologic. institut. a Procl. compositae. pr. ed. *I. Th. Vömel*). — *Marini* vita Pr. *I. Fr. Boissonade.* Lps. 1814. 8. *Hierocl.* fgm. ed. *Io. Pearson.* Lond. 1673. 8.

§. 97.

Stobaeus. Historiae philosophematum scriptores.

Colligendi tantum et excerpendi munere functus est *Iohannes* patria *Stobaeus,* Macedo, c. 500, cujus *Eclogae* (Ἐκλογαὶ φυσικαὶ καὶ ἠθικαί) ad cognoscendas priorum et recentiorum sapientium sententias insignes alibi non inveniendas non minus pertinent quam Ἀνθολογίου (*Sermonum*) ll. II. — De *vita, placitis* et *dictis clarorum philosophorum* (ll. X) incomte quidem, incurie et negligenter disseruit *Diogenes Laertius* c. 210, haud

ille vero rejiciendus, quin magni aestimandus ob notitias ab eo servatas. Nec *Eunapii Vitas philosophorum* et *sophistarum* contemnimus.

Stob. ecl. *A. Hm. Lud. Heeren.* Gott. 1792-1801. II pp. in IV voll. 8. serm. s. florileg. *Nic. Schow.* Lps. 1797. Tom. I. 8. (non absol.) *Th. Gaisford.* Oxon. 1823. IV. 8. recus. Lps. 1823. sq. IV. 8. (Iacobs). — *Diog. Laert.* c. nott. H. Stephani, Casaub. et Aeg. Menag. *Marc. Meibom.* Amst. 1692-1718. II. 4. (* *P. D. Longolius.* ed. rep. Lps. 1759. 8.) — *Eunap.* c. nott. Wyttenb. *I. Fr. Boissonade*, e. n. Berol. 1822. 8.

§. 98.

Philosophi christiani et Theologi.

Inter eos, qui fidem christianam his temporibus latius propagatam tuerentur, et philosophiae ope praecepta christiana defenderent, memorabilem locum obtinent *Justinus Martyr*, quem a Crescentio dente maledico carptum, capite multari jussit M. Aurelius Antoninus; *Athenagoras* Atheniensis, *Tatianus* Syrus, novae sectae conditor c. 172., *T. Flavius Clemens*, Presbyter Alexandrinus c. 200, homo doctissimus, *Origenes*, Presb. Caesareens., (185-253), *Irenaeus*, *Basilius Magnus* episc. Caes. ab a. 371., *Gregorius Nazianzenus*, *Johannes Chrysostomus* (354-407) Episcop. Constant. exilio ibidem multatus, facundia clarissimus, *Aeneas Gazaeus*, ut alios transeamus. (Gnostici).

Iust. M. opp. c. Athen. Tatian. et al. ed. unus e congreg. S. Mauri (Prudent. Maran.) Par. 1742. f. — *Tat.* λόγος πρὸς Ἕλλην. c. Hermia ed. *G. Worth.* Ox. 1700. 8. — *Clem.* opp. (Protrepticus, Paedagogi ll. III et Stromat. s. Miscellan. ll. VII.) c. nott. Sylburg, Heins. et al. *Io. Potter.* Lond. 1715. Ven. 1757. II. f. liber, quis dives salutem consequi possit, ed. *C. Segaar.* Ultraj. 1816. 8. — *Orig.* opp. *C. de la Rue.* Par. 1733-59. IV. f. — *Iren.* contra haeres. ll. V. *Ren. Massuet.* Par. 1710. f. — *Basil. M.* opp. *Iul. Garnier.* Par. 1721. sq. III. f. or. ad adolesc. de Graecor. ll. c. fructu legend. *Fr. G. Sturz.* Ger. 1791. 8. — *Greg. N.* opp. (oratt. epistt. drama spur. inscr. Χριστὸς Πάσχων) *Iac. Billius* e. n. cur. *Fr. Morelli.* Par. 1630. II. f. (auct. Venet. 1753. II. f.) ed. Monach. anon. (*Clemencet*) Vol. I. Par. 1788. f. non absol. (*Eichstaedt*). — *Io. Chrys.* opp. *Bern. de Montfaucon.* Par. 1718-38. XIII. f. *Aen. Gaz.* Theophrast. s. dial. de immortal. *Casp. Barth.* Lps. 1655. 4.

3. Historia et Chronologia.

§. 99.

Arrianus. Appianus.

Inter varios nec infrequentes historiae auctores, quos aetas quarta tulit, Plutarchum proxime excipit *Flavius Arrianus* Nicomediensis Bithynus, Epicteti auditor (§. 93.), qui tamen et summos honores, senatorium, fortasse etiam consularem Romae, sacerdotalem domi nactus Cappadociaeque praefectus est (134). Legimus adhuc *de expeditione* (Ἀναβάσεως) Alexandri M. ll. VII fide dignissimos, interdum longiores, dilucide tamen et ad Xenophontis exemplum compositos; tum *Indicorum* librum singularem, ad fidem maxime Nearchi scriptum (*Peripli Ponti Eux.* et *Mar. Erythr.*, *de Venat.*). — Non eadem prorsus laude ornandus *Appianus* Alexandrinus, qui Romae sub Trajano, Hadriano et Antonino Pio causae patronus sive cognitor, postea Procurator Caesaris constitutus vixit. *Historiae gentis Romanae* ll. XXIV scripsit ordine populorum et locorum servato, quorum dimidia pars fatum non effugit; supersunt exordium, fragmenta ex IX ll. prior., l. VI. VII. (de bello in Hispania et contra Hannib.) VIII. (Libyca) XI. (Syriaca et Parthica, haec quidem spuria) XII-XVII. (Mithridatica et civilia Rom. bella) XXIII. (de reb. Illyr.). Polybianum sectatur ingenium. „Narratio perspicua est et brevis, semper intenta proposito et res gestas persequens. — Oratio est, quum in singulis, tum in compositione, simplex, bene Graeca, elegans sine affectatione". (*Wyttenb.* in Bibl. Crit. III, 1, p. 93. sq.).

§. 100.

Dio Cassius. Herodianus.

Fama superiore gaudet *Dio Cassius Coccejanus*, e Nicaea Bithyniae oriundus, a. 180 in senatum receptus, Consul aa. 222 et 229. Quum vero Praetoriani ipsi essent irati, ab Alexandro Severo Imp. jussus est Romam relinquere. Extremam vitae partem in patria urbe degit. Conscripsit autem LXXX libros *Historiae Romanorum universae* ab Aeneae in Italiam adventu usque ad consulatum suum secundum, cujus operis praeter ll. XXXV

priores etiam XX postremi perierunt, ita quidem, ut integri tantum XI supersint (XXXVI - LIV a bello cum Mithridate Luculliano usque ad Drusi et Tiberii expeditionem Germanicam), e ceteris fragmenta. Excerpta vulgo adduntur e ll. XXXV - LXXX, a *Jo. Xiphilino* Sacc. XI. confecta. Dio diligentiae in colligendis puris fontibus laude donatur; ceterum scriptor eruditus et sagax, nec vero a superstitione alienus, nec simplicitati satis studens, sed nonnumquam severior in castigando, tumidus ac rhetoricae luxuriei cupidus. — Placet *Herodianus* quoque, *Historiae Romanae* ll. VIII conditor a M. Aurelii morte usque ad Gordiani III. regnum, qui non idem est cum Grammatico ejusdem nominis. „Si in saeculo, vitiorum ab omni parte feracissimo, ipsa vacuitas a gravioribus peccatis sibi nomen virtutis vindicat, non deest in Herodiano, quod laudem mereatur" (F. A. Wolf. praef. ed.). In animo ipsi erat, graviora et notabiliora velut in tabula proponere, in quo tamen reprehenditur, quod et plura praetermiserit eorum maxime, quae in pace gesta sunt, et in temporum ratione consignanda minus accuratus fuerit. Moderatus et aequus rerum aestimator et a superstitione nonnihil abhorret et a partium studio vacuus est; ab eruditione quum sit alienus, facile intelligitur ejus oratio.

Dion. C. c. nott. I. Alb. Fabricii et al. ed. *Hm. Sam. Reimarus.* Hamb. 1750. sq. II. fol. germ. vert. *Abr. I. Penzel.* Lps. 1798 - 1808. III. 8. (Sturz). — *Herod.* ed. pr. lat. *Angel. Politiani.* Rom. 1493. f. gr. c. Xenophont. Ven. Ald. 1503. f. *Fr. A. Wolf.* Hal. 1792. 8. *Th. G. Irmisch.* Lps. 1789 - 1805. V. 8. (nond. absol.) * *G. E. Weber.* Lps. 1816. 8. ad cod. Ven. *Imm. Bekker.* Berol. 1826. 8.

§. 101.

Aelianus. Zosimus. Scriptores Byzantini. — Historia ecclesiae.

Compilatoris magis quam historici partes agit *Aelianus*, e Praeneste Italiae urbe oriundus, Sophista c. 225. Concinnavit *Variae historiae* ll. XIV, nullo judicio collectos, ut bona sint malis mixta. Diversi argumenti sunt ejusdem de *Animalium natura* ll. XVII. — *Zosimus*, fisci comes sub Theodosio II, in *historiarum Romanarum* ll. VI ab Augusti temporibus usque ad a. 410. Polybium imitatur, ita tamen, ut libro V. et VI.

majorem explicet tum imitandi diligentiam tum scribendi sollertiam, quam quatuor prioribus. Ceterum laudatur ejus *Παῤῥησία* rerumque bona electio, vitio datur temporum neglectus stylique diversa natura. Non plane absolvit opus. — Communi *scriptorum Byzantinorum* nomine comprehenduntur et ii, qui universam imperii Byzantini historiam scripserunt, quemadmodum *Zonaras* (*Χρονικὸν* usque ad a. 1118), *Nicetas Choniates* 1118-1206), *Nicephorus Gregoras* (1204-1351), *Laonicus Chalcondylas* (1298-1462), et qui res singulorum imperatorum vel bella vel instituta certi temporis, ut *Procopius*; Belisario a secretis litteris, postea Constantinopoli praefectus a. 562 (*Persica* et *Gothica* s. bella intra 482 et 552 gesta ll. VIII; dubiae fidei sunt Anecdota s. Historia arcana), *Agathias* (res aa. 533-559), *Theophylactus* Simocatta (hist. Mauritii 586-602), *Constantinus Porphyrogennetus*, imperator, veneno necatus a. 959 (historia Basil. Mac. 869-886), *Leo Diaconus* (959-975), *Anna Comnena* mort. 1148 (Alexius s. Patris Alexii hist. 1069-1118), *Johannes Cantacuzenus* imp. (hist. Byzant. 1320-1354), et qui antiquitates et ritus designarunt, ut *Procopius* (*Κτίσματα* ll. VI), *Constantinus Porph.* (de caeremoniis aulae Byz. al.), *Jo. Laurentius Lydus* c. 529. Chronographi sunt *Georg. Syncellus* (— 284), *Johannes Malalas* (— 566). Inter quos omnes principe nobis sunt loco *Procopius* et *Zonaras*. — Historia *ecclesiae christianae* primum et optime scribi coepit ab *Eusebio*, episcopo Caesareensi 264-340, cujus *Praeparatio evangelica* propter multas de antiquiore Graecorum mythologia et philosophia relationes et fragmenta veterum poetarum in pretio est.

Ael. V. H. c. nott. *Iac. Perizon.* ed. *Abr. Gronov.* Lugd. B. 1731. II. 8. *Ad. Coray.* Par. 1805. 8. (*ed. comp. *G. H. Lünemann.* Gott. 1811. 8.) H. An. *I. Glo. Schneider.* Lps. 1784. II. 8. (*Iacobs*). — *Zos.* l. I. II. pr. gr. c. Herodian. *H. Stephan.* Par. 1581. 4. ll. VI pr. *Fr. Sylburg* in Scriptt. hist. Rom. min. Vol. III. *I. Fr. Reitemeier.* Lps. 1784. 8. — Corpus scriptt. hist. Byz. edit. cur. *Phil. Labbe*, *Frc. Combefisii* et alior. Par. 1647-1711. XXXVI. fol. auctius rep. sed minus dilig. Venet. 1729-33. XXIII. f. append. Rom. 1777. f. *Leon. Diac.* histor. *Car. Ben. Hase.* Par. 1819. f. *Const. Porph.* de cer. gr. l. *I. H. Leich* et *I. I. Reiske.* Lps. 1751. II. f. *Io. Laur. Lyd.* de Magistratt. Rom. *I. D. Fuss.* Leod. 1821. 8. de ostentis *C. Ben. Hase.* Par. 1823. 8. de mensib. *Nic. Schow.* Lps. 1794. 8. — *Euseb.* hist. eccles. *Ern. Zim-*

mehmann. Fcf. ad M. 1822. 8. (*Kestner*, *Danz.*) praep. ev. *Frc. Viger*. Par. 1628. (Col. 1688.) fol.

§. 102.

Chronologia.

Ex quo *Eratosthenes* primus *temporum notationis* meditatae initium fecerat, alii etiam geometrica usi sunt ratione, ut hanc doctrinam ordinarent et stabilirent. Haec studia egregie adjuvit *Claudius Ptolemaeus* (§. 104) tabulis factis (*Πρόχειροι Κανόνες*), quarum pars est *Canon Regnorum* LV (*Κανὼν Βασιλειῶν*) proprie astrologorum in usum conscriptus. Sed ad popularem sensum magis accommodatur chronologia Christianorum in manibus, nec inutilem impendit operam *Julius Africanus* saec. III initio explicandae illi doctrinae, cujus tamen merita superavit *Eusebius* Pamphili (amicus) episcopus, qui omnium regnorum et populorum origines et historiam ordine ethnographico contulit, usque ad a. 325 p. Chr. in operis inscripti *Παντοδαπὴ ἱστορία* libro primo s. *Χρονογραφία*, in secundo autem eoque ultimo (*Χρονικὸς κανών*) tabulas exposuit universas ordine temporis servato, insertis excerptis ex Julii Africani chronographia. Sed operis Eusebiani nihil superest, nisi pars quaedam a *Hieronymo*, qui recensum continuavit usque ad a. 378, latine expressa et translatio Armeniaca, nuper detecta, Graecum exemplar ne unum quidem.

Ptol. can. ed. *Halma*. Par. 1820. 4. tabul. pr. ed. *Halma* in *Theon*. comment. Vol. I. Par. 1822. 4. — *Eus.* chron lat. per Hieronym. ed. *Ios. Scaliger*. e. n. Amst. 1685. f. ex Armen. in lat. convert. *Ang. Majus* et *Io. Zohrab*. Mediol. 1818. 4. armenice et lat. *I. Bpt. Aucher*. Ven. 1818. II. fol. et 4.

5. Geographia.

§. 103.

Arrianus. Pausanias.

Magis inclita, quam *Arriani* duae itinerum descriptiones, *Περίπλους Εὐξείνου Πόντου* et *Περ. τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης*, est relatio *Pausaniae*, probabiliter Lydi c. 174 (*Ἑλλάδος περιήγησις*), quo vix quisquam diligentius Graeciam obiit, ut artis sculptoriae, pictoriae et architecturae monumenta perlustraret et con-

signaret. Opere illo, in X ll. diviso, quos ipse auctor a regionibus inscripsit, si careremus, multa forent occulta ex artium Graecarum et fabularum historia. Quamquam et ipse critica ratione nonnunquam caret nec dictio, alioquin facilis et urbana, vacat negligentiae maculis.

Arr. peripli in *Hudson.* Geogr. I. — *Paus.* ed. pr. Ald. 1516. f. c. nott. Xylandr. et Sylb. *Ioach. Kuhn.* Lps. 1696. f. *Chr. Gd. Siebelis.* Lps. 1822. ss. III. 8. (nond. abs.) *Imm. Bekker* Berol. 1826. II. 8. gr. et gall. c. comm. *Clavier.* Par. 1814-21. VI. 8. suppl. 1823. 8. (*ed. comp. *Siebelis.* Lps. 1819. III. 8.) Germ. v. *E. Wiedasch.* Tom. I. Monach. 1826. 12. (Heyne, Lessing).

§. 104.

Marinus. Ptolemaeus. Stephanus.

Inprimis venerabilem operam praestiterunt *Marinus Tyrius* et *Claudius Ptolemaeus*, Ptolemaide Aegypti natus, uterque in saec. II. p. Chr. cadens, quorum studio geographia geometricis suffulta rationibus novam accepit lucem. Communi utrique litterarum consortio ita inter se erant nexi, ut Ptolemaeus Marini disputationes, postea deperditas, exciperet ac corrigeret. Factum igitur est, ut Ptolemaei *Γεωγραφικὴ Ὑφήγησις* inter libros ad perspiciendam geographiae veteris doctrinam necessarios principem obtineat locum. (*Agathodaemonis* tabulae). — Perutile sane propter multa et nova fuit *Stephani* Byzantini (saec. V.) Lexicon geographicum (*Ἐθνικὰ* s. *Περὶ πόλεων*), sed servata est tantum exilis epitome a *Hermolao* Constantinopolitano facta, praeter fragmentum *de Dodone.* (*Nicephorus Blemmida*).

Ptol. ed. pr. lat. per *Man. Chrysolor.* et *Iac. Angel.* Vicent. 1475. f. gr. *Erasm. Rot.* Bas. 1533. 4. c. tabb. Mercator. *Petr. Montan.* Fcf. et Amst. 1605. f. (Buttmann). — *Steph.* de urb. Xylandr. Bas. 1568. f. *Abr. Berkel.* abs. *Iac. Gronov.* Lugd. B. 1688. (1694) f. fgm. de D. *Gronov.* Lgd. B. 1681. 4. (Holsten). — *Nic. Bl.* duo opuscul. *F. A. G. Spohn.* Lps. 1818. 4.

6. Scientiae mathematicae et physicae.

§. 105.

Mathesis. Astrologia. Musica. Tactica.

Alexandrinorum quidem cura in singulis mathesis partibus prospero successu est elaboratum; sed post ca-

ptam ab Arabibus Alexandriam omnis fere cessit largior scientiae proventus. *Nicomachum* Gerasenum, cujus non ita excellit *Institutio arithmetica* (nam *Theologumena arithmetica* supposititia habemus), meritis et laude vincit *Diophantus*, quem *algebram* inter Graecos primum coluisse volunt; e XIII supersunt VI ll. *Arithmeticorum* cum libello περὶ πολυγώνων ἀριθμῶν. (*Pappus; Proclus*). — *Siderum scientia* egregia debuit incrementa *Claudio Ptolemaeo* (§. 104.). Is in opere praeclaro Μεγάλη σύνταξις τῆς ἀστρονομίας ll. XIII, Arabice *Almagest* dicto, universam exposuit astrorum doctrinam eamque plene et accurate. Sed fuerunt postea, qui nugis astrologicis gauderent et praestigiis. — *Musicae* idonei scriptores non defuerunt; de Harmonices enim doctrina breviter explicata a *Nicomacho* et *Ptolemaeo*, uberius et diligentius disseruit *Aristides Quintilianus*. — De *Strategematibus* haud ineleganter expositum est a *Polyaeno* Macedone sub M. Antonino causarum actore, (ll. VIII) compilatis veterum narrationibus.

Nicom. inst. ar. c. Theol. *Fr. Ast.* Lps. 1817. 8. — *Dioph.* Ar. *Bachet de Meziriac*, Par. 1621. f. Germ. v. *O. Schulz.* Berol. 1822. 8. de polygon. germ. *Fr. Poselger.* Lps. 1810. 8. *Ptol.* construct. astr. pr. lat. Venet. 1515. f. c. nott. *Delambre* ed. *Halma.* Par. 1813.-15. II. 4. (Ideler, Delambre). — Musicae auctt. junct. ed. *Meibom.* (§. 77.). — *Pol.* gr. et l. pr. *Is. Casaubon.* Lugd. 1589. 12. *Ad. Coray.* Par. 1809. 8. (Blume).

§. 106.

Historia naturae. Medicina.

In explorandis naturae viribus et effectu negligentius usque versati, ad augendam et amplificandam scientiam nil conferebant, qui de ejusmodi rebus disputabant, a medicina si discesseris. Unum *Artemidori* Ὀνειροκριτικῶν s. *divinationis e somniis* opus verbo tangendum, quia nonnulla intexuit auctor de veterum quibusdam moribus et institutis, quae non licet ex aliis scriptis sumere *). — Differentes inter se *medici* plures

*) Ne plane desint, subjungatur hoc loco Γεωπονικῶν ll. XX notitia, collectionis complurium *de re rustica* commentariorum, a Cassiano Basso Constantini Porphyrogennetae jussu institutae (rec. *Io. Nic. Niclas.* Lps. 1781. IV. 8.)

constituerant sectas, Methodicam, Empiricam, Pneumaticam, Eclecticam. Quas omnes conciliare et Hippocratis (cujus scripta commentatus est) exemplum secutus naturae observationis et experientiae ope in rectam viam retrahere ausus est *Galenus*, Pergami natus 131 p. Chr. ibique, posthac Romae, factitandae arti suae deditus, quem alterum principem medicorum jure dicunt. Anatomiam tamquam omnium disciplinarum, quae ad morborum curationem spectant, fundamentum coluit. Etiam philosophum se probavit Platonis et Aristotelis decreta assidue scrutatum. Feracissimi hujus scriptoris opera (LXXXII germana) recensere longum; maximam vero adepta est gloriam Τέχνη ἰατρική. Galenum secuti sunt *Oribasius*, *Aetius*, *Alexander Trallianus*.

Artem. On. ed. *I. Gdf. Reiff.* Lps. 1805. II. 8. — *Gal.* opp. ed. pr. gr. Ald. 1525. V. fol. mel. Basil. Cratandr. 1538. V. fol. c. Hipp. *Ren. Chartier.* (§. 61.) *C. G. Kühn* (adjuv. *Schaefero*) Lps. 1821. ss. XII. 8. (nond. abs.) de optim. medico philos. gr. l. *Curt. Sprengel.* Halae, 1788. 8. c. Hipp. de aere *Coray*. Par. 1816. 8.

7. Sophistae et Rhetores.

§. 107.

Polemo. Herodes. Aristides.

Genus illud litteratorum, quod tam vehementer exploserant Socrates et Socratici, alia sub forma resurrexit, ab imperatoribus quibusdam Romanis, Hadriano praesertim, provectum et magni habitum. Sophistarum nomen nunc iis imponebatur, qui humanitatis studia fovebant, quaestum in iis quaerentes, praecipue artem diserte eloquendi ad certas regulas dirigebant et *declamationibus* de variis rebus artificiose propositis juvenes exagitabant. Quod quidem acroama, e foro exulans, in cubiculo libentissime est auditum. Smyrnae vixit *Antonius Polemo*, Trajani et Hadriani aequalis (scr. duas *laudationes funebres* in Cynaegirum et Callimachum), Romae *Tiber. Atticus Herodes* s. Her. Att., Consul a. 141, facundia commendatus (περὶ πολιτείας). Insigni vero laude donatur *Aelius Aristides* Bithynus 117-180, ab aequalibus tanti habitus, ut complures urbes ei statuas ponerent. Orationibus ejus LIV, plerumque Deos

vel

vel homines illustres, ut M. Aurelium imp., celebrantibus inest vis quaedam dicendi lepore mixta.

Polem. ed. *Io. Co. Orellius.* Lps. 1819. 8. — *Her. Att.* in Ald. Orr. I. *Reisk.* Orr. VIII. *Raph. Fiorillo.* Lps. 1801. 8. — *Arist.* LII decl. pr. Ph. Iunt. Flor. 1517. f. gr. lat. *Sam. Iebb.* Oxon. 1722. 33. II. 4. contra Lept. c. Liban. decl. pr. ed. *Iac. Morellius.* Ven. 1788. 8. *F. A. Wolf.* in Demosth. Leptinea (§. 53.). de immunit. *G. H. Grauert* in Mus. Rhen. I. fasc. 1. Scholia in Arist. pr. rec. *G. Frommel.* Fcf. ad M. 1826. 8.

§. 108.

Lucianus.

Qui omnes quum aetatis suae labem prorsus abstergere vix queant, unum si *Lucianum* audias, e melioribus quendam auribus percipere credas florentis aevi auctoribus. In lucem is editus Samosatae, Syriae urbe, fortasse sub Hadriani imperio. Patriam juvenis dereliquit et Athenas se contulit, ubi plurimum vitae degit et docuit. Lucianus autem quum ingenio esset subacto et animo sincera doctrina exculto, contemtorem se professus est futilis illius et vagae superstitionis, cui se dederant philosophi istius temporis, aeque ac reprehensorem pravitatis et pestilentiae morum. Ad expedienda animi sensa suppeditabant ipsi verborum aculei et mordacissimus jocus ad nimiam usque licentiam, substituta humani et veri perspicientia; diverbii vere dramatici usus aptissimus, lingua pure Attica, frequens luminibus *). Permultos promulgavit libellos, quorum praestantissimi videntur e genere ludicro *Dialogi deorum* et *mortuorum*, *Prometheus*, *Jupiter tragoedus*, *Jupiter confutatus*, *Icaromenippus*; *Nigrinus*, *Hermotimus*, *Auctio*; *Timon*, *Charon*; e genere didactico *de mercede conductis*, *quo-*

*) „Tantum obtinet in dicendo gratiae, tantum in inveniendo felicitatis, tantum in jocando leporis, in mordendo aceti; sic titillat allusionibus, sic seria nugis, nugas seriis miscet; sic ridens vera dicit, vera dicendo ridet; sic hominum mores, affectus, studia, quasi penicillo depingit, neque legenda, sed plane spectanda oculis exponit, ut nulla comoedia, nulla satyra cum hujus dialogis conferri debeat, seu voluptatem spectes, seu spectes utilitatem." Erasm. Roter. Epp. I, 29, 5.

modo historia sit scribenda, Toxaris, Anacharsis. Accedit *Somnium* s. de ipsius vita.

Luc. opp. ed. pr. gr. Flor. 1496. f. gr. l. *Tib. Hemsterhus.* absolv. *I. Fr. Reitz.* Amst. 1743. III. 4. (Lex. Luc *Ch. C. Reitz.* Ultr. 1746. 4.) rep. Bipont. 1789-91. IX. 8. *Io. Thph. Lehmann.* Lps. 1822. ss. V. 8. (nond. abs.) dial. sel. *(*F. A. Wolf.*) Vol. I. Hal. 1791. 8. **A. Matthiae.* Lps. 1809. 8. *Lehmann.* Lps. (Char. 1811. dial. decr. et marin. 1815. Somn. 1818. dial. mort. e. n. 1826. 8.) **G. Lange.* Hal. 1825. 8. *Frc. V. Fritzsche.* Lps. 1826. 8. *dial. de. *E. F. Poppo.* ed. III. Lps. 1825. 8. dial. mort. *I. Voigtländer.* Lps. 1823. 8. *somn. Anach. encom. patr. *A. Pauly.* Tub. 1825. 8. Tox. *C. Ge. Iacob.* Hal. 1825. 8. Luc. germ. vert. *Wieland.* Lps. 1788-91. VI. 8. (Iacobs, Struve, Eichstädt.)

§. 109.

Philostrati. Athenaeus. Themistius. Libanius.

Huc pertinet etiam *Maximus Tyrius* (§. 94.). Sequuntur *Philostrati*, quorum is, qui erat major natu, *Flavius*, Athenis et Romae scholas habuit, imperante Septimio Severo, et reliquit *Vitam Apollonii* Tyanensis (ll. VIII) circulatoris et hominis vaniloqui, tum *Vitas Sophistarum* ll. II, percommodas ad morum istius temporis historiam, porro *Heroica* s. Dialogum laudem XXI heroum continentem, qui bello Trojano inclaruerunt, dein *Imagines* s. descriptionem tabularum pictarum in urbe Neapoli, artium historiam probe juvantem, postremo *Epistolas* varias; minor natu, majoris ex sorore filius, *Imaginum* librum singularem et *Epistolas* composuit. — Magnam nacti sunt famam *Athenaei* Naucratitae Aegypti (c. 228) *Deipnosophistarum* ll. XV, sive sermones in convivio virorum doctorum habiti de coenae apparatu, vinis, ludis et aliis rebus plurimis, quae spectant ad antiquitates, scientias naturales, poesin, eloquentiam, grammaticam, intertextis innumeris operum deperditorum, praesertim poematum, fragmentis. Inest his libris, quorum duo priores non integros, sed in epitomen redactos habemus, quasi horreum immensae lectionis et uberrimae cognitionis; desiderantur judicium et pulcri sensus. — Aequalibus suis tanquam dicendi exemplar fuit *Themistius* e Paphlagonia ortus, (*Εὐφραδὴς*) orator et philosophus, cui Theodosius imp. Arcadium filium tradidit educandum. *Orationes* ejus (XXXIII) commendat dicendi vigor et elegantia. — Ma-

gistrum aemulatus est *Libanius* Antiochiae natus (314-86), qui maximam vitae partem Constantinopoli transegit, Juliani favore gaudens. (*Progymnasmata* s. praeexercitationes eloquendi, *Μέλεται* s. *Declamationes, Orationes, Epistolae*, numero et argumento insignes).

Philostr. opp. gr. lat. *G. Olearius.* Lps. 1709. f. Her. *I. Fr. Boissonade.* Par. 1806. 8. Imag. c. Callistrat. stat. *Fr. Thph. Welcker* et *Fr. Iacobs.* Lps. 1825. 8. (Heyne, Hamaker, Becker, Creuzer.) — *Athen.* ed. pr. Musur. Ald. 1514. f. *Is. Casaub.* ed. nvss. Lgd. 1657. 1664. f. c. gall. Villebrun. transl. (Par. 1789. ss. IV. 4.) *G. H. Schaefer.* Lps. 1796. sq. III. 8. (non abs.) *Io. Schweighaeuser.* Bip. et Argt. 1801-7. XIV. 8. *Fr. Iacobs.* Addit. animm. Ien. 1809. 8. (Erfurdt, Meineke; cf. Iacobs in Encycl. Hal. VI.). — *Them.* Orr. *Io. Harduin.* Par. 1684. f. *λόγος πρὸς τοὺς αἰτιασαμένους ἐπὶ τῷ δέξασθαι τὴν ἀρχὴν* pr. gr. et l. ed. *Ang. Majus.* Mediol. 1816. 4 et 8. (Iacobs). — *Liban.* prog. gr. et l. *Ioach. Camerar.* Basil. 1541. 8. Decl. et or. *I. I. Reiske* cur. *Ernestina R.* Altb. 1784. Tom. I. 4. 1791-97. IV. 8. decl. pro Socrate pr. gr. et l. c. Aristid. Leptin. *Iac. Morellius* (§. 109.) de templor. conserv. pr. ed. *A. Mai.* in Corn. Fronton. ed. sec. Rom. 1823. 8. (Iacobs.) Epp. *Io. Chr. Wolf.* e. nvss. Amst. 1738. f. (Villoison.)

§. 110.

Himerius Julianus. Rhetores.

His longe inferior est *Himerius*, Prusensis Bithynus n. a. 315, qui Rhetoricam Athenis profitebatur. *Fl. Claud. Julianus* (331-63), imperator factus a. 360, Apostata dictus ob abjuratam fidem christianam, armorum et stili parem habuit curam. Eruditioni amplae conjunxit non minimam imaginandi facultatem, immo nimiam, ut Neoplatonicorum obsecundaret placitis. Exstant ejus *Orationes, Satirae* (*Caesares*, insectatio in eos, qui ante ipsum imperatores fuerant, *Misopogon* contra Antiochenos) *Epistolae.* — Aliam *Rhetores* susceperant provinciam, praeeuntibus Aristotele et Dionysio Hal. rationes artis oratoriae proponentes et operum eximiorum censuram habentes. *Hermogene* et *Aphthonio* missis laudamus inprimis *Cassium Longinum*, cujus patria ignoratur. Athenis, ubi cum laude scholas habuerat, relictis, Zenobiae Palmyrenae a supremis fuit consiliis, sed Aureliano proditus miserrimum supplicium constanter pertulit (273). Inter multa ejus scripta, quae interierunt, nullum sane majus sui desiderium movet, quam

Φιλόλογοι (s. *φιλ. ὁμιλίαι*), commentationes de claris quibusdam scriptoribus, cujus pars videtur, quod solum superest, *Περὶ ὕψους* (*de sublimi*) opusculum, egregium quidem illud, sed de cujus *αὐθεντίᾳ* etiamnum disputare liceat. (*Tiberius*).

Him. decl. XXXIV et fgm. gr. l. *Thph. Wernsdorf.* ed. cur. *I. Ch. W.* Gott. 1790. 8. or. de laud. Constantinop. et Iul. c. nott. Th. Wdf. *G. Chr. Harless.* Erl. 1785. 8. or. in Constantii laud. c. nott. Wyttenb. *G. H. Schaefer.* Lps. 1802. 8. (Wyttenb. Neander). — *Rhetores* ed. Ald. Man. Ven. 1508. 9. II. f. (sine Long.) *Herm.* de art. rh. c. *Aphth.* progymn. Flor. Iunt. 1515. 8. H. progymn. ins. Priscian. ed. *Krehl.* Tom. II. — *Long.* c. nott. et diss. *Ruhnken.* ed. *Io. Toup.* Ox. 1778. (1789. 1806.) 4 et 8. gr. lat. c. nott. VV. DD. *Benj. Weiske.* Lps. 1809. 8. (Wolf, Boettiger). — *Tiber.* de fig. c. Ruf. *I. Fr. Boissonade.* Lond. 1815. 8.

9. Scriptores erotici.

§. 111.

Jam fabularum Milesiarum, de quibus passim sermo est, ea fuisse videtur natura, ut narrationibus amatoriis, quas nostrates vocant *Romane*, praecurrerent tanquam anteambulones; hae ipsae autem, ignotae florenti aetati, exarari non prius coeptae, quam cadentibus litteris severioribus. Ejusmodi auctores novimus *Xenophontem* Ephesium (*Ephesiaca* s. de amoribus *Anthiae* et *Abrocomae* ll. V), *Heliodorum* (*Aethiopica* s. de am. *Theagenis* et *Charicleae* ll. X), *Achillem Tatium* (de am. *Leucippes* et *Clitophontis* ll. VIII), *Longum* (*Pastoralia* de Daphnide et Chloe ll. IV), *Charitonem* (de *Chaerea* et *Callirrhoe* ll. VIII), *Eumathium* (de *Ismeniae* et *Ismenes* am. ll. XI), *Theodorum Prodromum* (de *Rhodanthes* et *Dosiclis* am. ll. IX), *Nicetam Eugenianum* (de *Charicle* et *Drosilla* ll. IX) quorum duo posteriores usi sunt versibus jambicis, quos politicos vocant. Huc ponimus et *Epistolas amatorias*, quales compositae sunt ab *Alciphrone* et *Aristaeneto*. Scriptorum, quos recensuimus, aetas non satis certa. — Denique jungimus cum fabulatoribus illis *Antoninum Liberalem*, auctorem *Μεταμορφώσεων* s. Fabularum de formae immutatione.

Xen. gr. l. *P. Hofm. Peerlkamp.* Harl. 1818. 4. *Frc. Passow.* Lps. 1825. 12. — *Heliod.* ed. *Coray.* Par. 1804. II. 8. Germ. v. *C. G. Göttling.* Fcf. ad M. 1822. 8. — *Ach. Tat.* gr.

l. *Fr. Iacobs.* Lps. 1821. 8. Germ. v. *F. Ast.* Lps. 1802. 8. (cf. Passow. in Enc. Hal.) — *Long.* gr. l. *Villoison.* Par. 1778. II. 4 et 8. *G. H. Schaefer.* Lps. 1803. 12. Gr. et germ. *Passow.* Lps. 1811. 12. Suppl. a *Courier.* ed. rec. *Eichstaedt.* Ien. 1811. f. (Kreyssig). — *Char.* gr. l. *Iac. Ph. d' Orville.* Amst. 1750. II. 4. rep. cur. *Beck.* Lps. 1783. 8. — *Eumath.* (s. Eustath.) gr. l. *Teucher.* Lps. 1792. 8. — *Theod. Pr.* gr. l. *Gilb. Gaulmin.* Par. 1625. 8. — *Nic. Eug.* c. Constant. Manass. fgm. *Boissonade.* Lond. 1819. II. 8. — *Alciphr.* c. Bergler. nott. *I. A. Wagner.* Lps. 1798. II. 8. *Aristaen.* ed. *F. L. Abresch.* Zwoll. 1749. 8. (Lection. Amst. 1752. 8.) *Boissonade.* Par. 1823. 8. (Bast. Schaef.) — Cf. Manso Verm. Schrift. T. II. — *Anton. Lib.* ed. *Hr. Verheyk.* Lgd. 1774. 8. (Bast.)

10. Jurisprudentia.

§. 112.

A Romanis demum juris civilis studium una cum imperio ejusque sede ad Graecos est deportatum, quorum de jure disputare, dum libertate fruebantur, parum interfuerat. Byzantii quanta Theodosio II. et Justiniano Caesaribus exarserit juris et legum tractatio, neminem fugit. Sed plurima ejus generis latine scribebantur, ut *codex Theodosianus* et *Justinianeus* s. *Pandectae* et *Institutiones.* Graece vero promulgabantur ejusdem Justiniani *Novellae Constitutiones* (Authenticae), postea in latinum sermonem conversae; (paraphrases *Theophili, Thalelaei* al.) item *Basilii* Macedonis (867-886) *Πρόχειρον τῶν νόμων*, tum *Βασιλικαὶ Κατάξεις* (Constitutiones) ab eodem et filio *Leone Sapiente* institutae, a *Constantino Porphyrog.* auctae. (*Constantinus Harmenopulus* saec. XIV).

Authent. gr. Hr. Steph. 1558. f. — *Theoph.* par. *Gu. O. Reiz.* Hag. 1751. II. 4. *Thal.* et al. gr. l. pr. *D. Ruhnken.* Hag. 1752. f. et in Meermann. Thes. jur. III. et V. — *Basil.* gr. l. *C. Annib. Fabrotti.* Par. 1647. VII. f. Suppl. in Meerm. Thes. V. et Lgd. 1765. f. — *Const. Harm.* promtuar. jur. civ. ll. VI. gr. l. *Ruhnken.* in Supplem. thes. Meerm. Hag. 1780. fol.

Historia Litterarum Romanarum.

Prooemium.

§. 1.

De litterarum apud Romanos natura.

Rationis, qua Romani litteras colebant, comparatae cum illa, quam Graeci exhibuerunt, consideratio non eadem mentem afficit voluptate nec ipsa illa omnium partium culturae admiratione. Neque eadem animo nostro inhaerescit effigies ingenii, quod suum est, aliunde non expressum, propterea quod non prius Romani litteras incipiebant sedulo colere, quam ad Graeca se componere poterant exempla: quare illorum eruditio non injuria confertur cum lumine solis a luna repercusso. Nihilo minus est tamen, quod Romanis detrahere vix audeas, *ingenium generosum ac nobile*, quo ipsam naturam sicut linguam quasi morem gerere cogebant, *studia in quibusdam rebus eximia*, quae ad vitae usum se accommodarent, *animum vere Romanum, fortem, gravem, ubicunque constantem.*

§. 2.

Litterarum Romanarum aetates.

Historiam Romanorum litterariam eadem qua Graecorum ratione dividimus in *quatuor* aetates, quarum *prima* incipiens a litterarum primordiis attingit *Ciceronis* et *Augusti* tempora, quae *secundam florentem* complectuntur 676 - 767 ab urbe cond. (78 a. Chr. — 14 p. Chr.); *tertia* est cadens, ab Augusti morte usque ad Antoninos 767-891 (14-138), *quarta* porrigitur ad Romam a barbaris expugnatam (476).

§. 3.

De subsidiis litterariis.

Tamquam *fontes* cognoscendae litterarum Romanarum historiae principes enumerandi sunt inter veteres *Cicero, Quintilianus, Gellius.* Nostris temporibus utilissimam suppeditarunt operam *J. A. Fabricius* biblioth. lat. Hamb. 1721. 22. III. 8. ed. auct. cur. *J. Aug. Ernesti* Lps. 1773. 74. III. 8. (non absol.) *Gttli. Chph. Harless* introductio in notit. litterat. Rom. Norimb. 1781. (Lps. 1794.) II pp. 8. *Ej.* brevior not. litt. R. Lps. 1789. 8. Supplem. 1799. 1801. II. 8. (p. III. ed. *C. Fr. Hr. Klügling.* Lps. 1817. 8.) * *Ej.* brev. not. in us. sch. Lps. 1803. 8. additam. ed. *Klügling.* Lps. 1819. 8. *Fr. Schoell* histoire de la litterature Romaine. Par. 1815 ss. IV. 8. (* *Matthiae, Wachler, Passow,* * *Schaaff, Eschenburg;* cf. pag. 3.) Adde *Fr. Jacobs* „Kurz. Abriss d. Gesch. der röm. Poesie" in Nachträg. zu Sulz. I.; *Manso* „über das rhetor. Gepräge d. röm. Litt." in Vermischt. Abh. u. Aufs. Bresl. 1821. 8. (Niebuhr, Schlegel, Wachsmuth).

§. 4.

De Romanorum lingua.

Prima linguae elementa Romanos a Pelasgis sumsisse traditum est. (Cf. Dionys. Hal. IV, 26. Plin. Hist. Nat. VII, 58. Tac. Ann. XI, 14. Liv. I, 7.) Illud certe extra dubitationem positum, Romanam linguam naturali quadam cognatione cum Graeca intime jungi, quae ostendatur praecipue vocum plurimarum aeolicae et doricae originis immixtione, ita tamen, ut sororia sit (Quint. I, 5, 58. I, 6, 31). Nativam autem linguam, qua jam ante ingressos Pelasgos usi fuerant (*l. oscam*), tantummodo mutatam et alienis additamentis locupletatam fuisse nec plane abjectam, rei docet natura. (A *Latina* diversa *Romana*). Sed diu balbutiit Romanorum lingua neque ad litterarum altitudinem ascendere potuit, usque dum *Livius Andronicus* a. 514 a. u. (240) elegantius illud dicendi genus aperuit, quo in scriptis uti postea coëperunt. (Sermo *rusticus, urbanus*). Meliora multa dehinc *Ennio* et *Varroni,* plurima *Ciceroni* debebantur, cujus post mortem haud diu a labe cavit oratio.

Aetas prima.

Ab initio usque ad Sullae mortem 676 (78 a. Chr.)

§. 5.

De historiae civilis et litterarum originibus.

De antiquissimis civitatis Romanae temporibus disputare, quum tot tantisque tenebris circumfusa sint, in animo non est. Ut cujusque gentis primordia ex aliqua saltem parte fabulis laborant, ita Romanorum ultima antiquitas commentis non caret. At negari tamen vix potest, aborigines Italos Tuscae potissimum fuisse stirpis ac sensim coaluisse cum colonis Graecis, Tuscos vero ipsos suam sibi linguam, sua instituta, suos mores diu servasse. Finitimis populis armorum lege subactis, Roma caput altius extollens, ex quo dominatui optimatium fit obnoxia, bellisque Samnite et Carthaginiense feliciter gestis florentis imperii attingit fastigium. Quoad autem intestinae populi et principum discordiae nimium quantum civium animos agitabant ac distringebant, artium ingenuarum cura vilis habita; post finem vero primi belli Punici scripta ingenii monumenta crebrius divulgata, surgente simul ex incunabulis quasi litterarum cultu. Cui rei plurimum profuit aperta scriptorum Graecorum notitia et ipsa consuetudo cum magistris Graecis Romam profectis. Moribus Graecorum et mollitie quamquam simul invectis bilem ea familiaritas viris antiquae virtutis Romanae commovebat, litterarum tamen studium inter primores civitatis amicos nactum est et fautores, ut vel Cato ille infensissimus antea Graeculorum, quos vocabant, contemtor in senectute studia rejecta cupide arriperet (Cic. Acad. IV, 2. Caton. 1.) Poetarum Graecorum carmina publice recitare et interpretari primus incepit *Crates* Mallotes, ab Attalo Romam missus c. 588 (166), cujus exemplum alios incitabat, ut et Latinos legerent.

I. Poesis.

§. 6.

Prima carmina.

Romanorum flagrans bellandi studium quum molliores sensus reprimeret, intermittebantur lusus quoque suaviores ingenii poetici. A poesi tamen orta est humanitatis cultura, rudi licet ac crassa, ne composita quidem versuum mensura. Nuncupantur *Carmina Convivalia* (Cic. Brut. 19. Tusc. I, 2. IV, 2. Val. Max. II, 1, 10), cantitata in laudem fortium virorum; tum *Saliorum Axamenta* s. *Cantus* (Hor. epp. II, 1, 86. Quint. I, 6, 40.), *Naeniae* (Cic. de legg. II, 24.), *Carmina Fescennina* (Liv. VII, 2. Hor. epp. II, 1, 145.) et alia ejusmodi, quae si numero adstricta erant, aut ipso versu Saturnio, qui constabat e tribus jambis et totidem trochaeis, aut certe simili quodam distinguebantur. Certum autem poesis genus non prius emicuit, quam primi ludi scenici instituebantur ludionibus ex Etruria accitis, quum grassaretur ingens pestilentia a. 391 (361 a. Chr.), unde *dramatis* primordia jure videntur derivanda, hac aetate proprie regnantis, cui deinde *satira* accedit. (Cf. Liv. l. c.)

1. Drama.

§. 7.

Fabulae palliatae et togatae.

Postquam primas fabulas tragicas docuerat Livius Andronicus, quas aut e Graeco sermone in Latinum transtulerat, aut quibus argumentum e fabulis Graecis subjecerat, secuti sunt alii, qui hoc partim imitarentur, partim sua ratione exornarent. Hinc, quum simul duplex in scena usurpari coepisset habitus et vestitus, tum qui inter Graecos, tum qui apud Romanos erat receptus, ortum fabularum *palliatarum* et *togatarum* nomen. Togatas in plura genera abiisse dicunt, *praetextatas*, ad tragoediae naturam accedentes, in quibus viri generosae stirpis agebant, et *tabernarias*, ludicri argumenti, ab hominibus inferioribus actas (Hor. A. P. 288.); aliquantulum dubitanter togatis adjicimus *fabulas* quoque *Atellanas*.

§. 8.

A. *Tragoedia. Livius Andronicus.*

Dramatis Romanorum parentem, *Livium Andronicum*, a satira ausum esse primum argumento fabulam serere, ita ut res quaedam continua narratione et actione exponeretur, testantur optimi auctores (Liv. VII, 2. Hor. Epp. II, 1, 62. ss. Val. Max. II, 4, 4. Quint. X, 2, 7.). Tarenti lucem vidit ibique a Romanis captus dicitur (Cic. Br. 10. cf. Tusc. I, 1. Cat. M. 14.). In fabulis, quarum plurimas tragoedias fuisse apparet, ipse primarias egit partes (Liv. Cic. Br. ll. cc. Gell. XVII, 21.). Ceterum non nimia fruitur laude apud veteres (Cic. Br. l. c. cll. de legg. II, 15.). Tragoedia Romana quum constaret e *diverbio* et *cantico*, Livius Andronicus gesticulationem cantico tacitus admovit. (Odyssea latine reddita; *fabulae* nomen).

Frgm. in *Scriverii* Collectan. vett. Tragicor. c. nott. *G. I. Vossii* ed. nvss. L. B. 1720. fgm. vett. poet. lat. edd. *Rob.* et *H. Stephan.* Par. 1564. 8. *Fr. Osann* Analecta crit. poesis Rom. scenic. reliquias illustr. Berol. 1816. 8.

§. 9.

Ennius. Pacuvius. Attius.

„Ennium sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia et antiqua robora jam non tantam habent speciem, quantam religionem.” (Quint. X, 1, 88. cf. Lucr. I, 118. Ov. Trist. II, 424. Hor. Epp. II, 1, 50., qui non satis justus A. P. 259. 55.). Susceptus autem est *Qu. Ennius* Rudiis Calabriae 515 (239; cf. Cic. Br. 18. pro Arch. 10. Gell. l. c.). A Catone Romam vocatus et civitate ibi donatus, familiari cum amplissimis viris, praesertim Scipione Majore, usus est consuetudine (Cic. Br. 20. Arch. 11. Rhet. ad Her. II, 22.). Lingua ad versus hexametri rationem accommodata syllabarum quantitatem accuratius definiit. Scripsit praeter multas tragoedias etiam *Annalium* ll. XVIII, *Comoedias, Satiras, Epigrammata*, alia. — Graecorum ad exemplum tragoediam perfectiorem reddidit *M. Pacuvius*, Ennii ab sorore nepos, Brundusii nat. c. 533 (221); floruit c. 573 (181; cf. Cic. Br. 64. Gell. XIII, 2. XVII, 21.). Fabulae ejus laudantur a Cicerone (Or. 11.) ob versus

elaboratos; vituperatur locutionis barbaries aliqua domestica (Br. 74. cll. Dialog. de caus. corr. el. 20.). — Haud dissimili ingenio, viribus fortasse gravior erat *L. Attius* nat. 583 (165), Consul 616 (138), qui dictionem videtur magis etiam inelegantiae maculis liberasse (Cic. Arch. 11. Hor. Epp. II, 1, 55. 69. Quint. X, 1, 97.). Idem hic fecit, quod Pacuvius, qui praeter fabulas palliatas ex argumentis e rebus Romanorum desumtis etiam praetextatas composuit.

Enn. fgm. ed. *Fr. Hessel.* Amst. 1707. 8. *Hr. Planck.* Gott. 1807. 4. trg. fgm. c. Att. *Osann.* l. c. Ann. fgm. *E. S(pangenberg).* Lps. 1825. 8. (Reuvens).

§. 10.

B. *Comoedia. Naevius.*

Animo graviori, quo temperabatur Romanorum rei publicae salutem prospicientium hilaritas, quamquam non satis conveniebat antiquae comoediae lepos et cavillatio, spe tamen citius crevit poesis comicae studium, nimirum indulgens peculiari indoli. Et *Cneus* quidem *Naevius* e Campania oriundus, Comicorum tempore princeps (Gell. XVII, 21.), P. Scipionis aliorumque virorum genere conspicuorum moribus in scena exagitatis in carcerem conjectus est a triumviris capitalibus, expulsus deinde Metellis auctoribus (Cic. Br. 15.), Uticae obiit 550 (204). Is et tragoedias Graecas latinas fecit et composuit carmen heroicum de bello primo Punico.

§. 11.

Plautus.

Comoediae genus, quod Naevius proposuerat, quum Romae invalescere non posset, fabulas ad Menandri et aequalium similitudinem exactas edere coeptum. Idque quum pluribus fauste processerat, in nemine tamen fuit laudabilius quam Plauto et Terentio. *M. Accius Plautus*, Sarsinas Umber 527-570. (227-184) infimo loco natus, floruit secundo bello Punico. Fabulas nonnullas Romae in pistrino scripsisse tradunt (Gell. III, 3.). In depingenda vitae inter plebem quotidianae imagine, in explicandis parasitorum, avarorum, adolescentium dissolutorum, servorum callide mendacium, hujus generis aliorum

(Hor. Epp. II, 1, 170.) tricis et fraudibus vix ulli Plautus cedit, nec cedit leporis abundantia, quem tamen pro urbano et faceto non raro obscoenum et illiberalem fas est dicere, licet renuente Cicerone (de off. I, 29). (Aliter at justo incautius Horat. A. P. 270 ss.). Sermo rectus et elegans (Cic. de or. III, 12. Plin. Epp. I, 1, 16.), sed interdum obsoletus et prisci moris, insigni tamen in diverbio vis. Num ad Epicharmi exemplar properaverit (Hor. Epp. II, 1, 58.), dubitari potest. Tribuebantur ipsi auctori CXXX fabulae cum suppositis; nobis XX tantum legere licet. (Eminent *Truculentus*, *Pseudolus*, *Captivi*.)

Ed. pr. *G. Merulae*. Ven. 1472. f. *Ioach. Camerar*. e. n. Bas. 1558. 8. *Dionys. Lambin*. Par. 1577. (1587) f. *I. Fr. Gronov*. e. nvss. Amst. 1684. II. 8. (Lps. 1760. II. 8.) Rudens *Fr. Volg. Reiz*. Lps. 1789. 1826. 8. * *Cph. Schneider*. Wratisl. 1824. 8. Trinumm. *G. Hermann*. Lps. 1800. 8. * *Frc. Goeller*. Col. 1824. 8. * Capt. Mil. glor. Trin. *Fr. Lindemann*. Lps. 1823. 8. Capt. *Io. Bosscha*. Amst. 1817. 8. * Aulular. *G. Goeller*. Col. 1825. 8. fgm. a Majo repert. in *Osann*. Anal. Pl. germ. v. *Gst. Koepke*. Ber. 1809. 20. II. 8. (Lessing, Linge, F. G. E. Rost).

§. 12.

Caecilius Statius. Terentius. Afranius.

Inter Plautum et Terentium aetatis ratione interjiciendus *Caecilius Statius*, Romae defunctus 586 (168), Vellejo Paterculo (I, 17.) et Quintiliano (X, 1, 99. cf. Gell. XV, 24.), quamquam ob malam latinitatem carpitur (Cic. Br. 74. epp. ad Att. VII, 3.). Sed paucissima habemus fragmenta. — *P. Terentius Afer*, 561-594 (192-159.), e Carthagine servus Romam venit, a Terentio autem Senatore manumissus, nomen ejus sumsit. Scipione Minore, C. Laelio et aliis nobilibus familiariter quum uteretur, non plane a vero abhorret fama, adjutum ab illis esse Terentium in scriptis (cf. Cic. epp. ad Att. l. c. Quintil. l. c.). Ad Menandri rationem ita se composuit, ut vel quasdam ejus fabellas in latinum converterit. Terentius autem in prima est commendatione propter orationem politissimam, elegantissimam, dicendique genus moderatum non sine vivida animi affectuum adumbratione, ut tamen nunquam abjiciatur ad sordida et inquinata. Nam ut ipse lautam nobiliorum vitae consu-

etudinem probe noverat, ita et in describendis moribus summa arte assecutus est festivam illam Menandri urbanitatem (Hor. l. l.) Ceterum optima nitescit latinitate (Gell. VII, 14.). Supersunt VI fabellae, *Andria, Eunuchus, Heautontimorumenos, Adelphi, Hecyra, Phormio.* (Scholiastae: Donatus, Eugraphius). — *L. Afranius* fabulas maxime *togatas* composuit (Hor. epp. II, 1, 57. Quint. X, 1, 100.)

Ter. ed. pr. s. a. et l. (1469?). *G. Faern.* et *P. Victor.* Flor. Iunt. 1565. 8. (1587.). *A. Hr. Westerhov.* Hag. 1727. II. 4. *Rich. Bentley.* e. n. Amst. 1727. 4. Lps. 1791. 8. * *B. F.* et *F. Schmieder.* Hal. 1819. 8. * *F. G. C. Perlet.* Lps. 1820. 8. (*ed. comp. *Bellermann.* Erf. 1806. 12. Berol. 1822. 8.) Germ. v. *ab Einsiedel.* Lps. 1806. II. 8. Eun. et Ph. *Köpke.* Pos. 1805. 8. (Ruhnken. dictat. ed. *Schopen.* Bonn. 1824. 8.; Boettiger.)

§. 13.

Fabulae Atellanae.

Ex Atella, urbe Osca, ludorum genus Romam perlatum, tam ludicrum et dicax, ut juvenes Romani histrionibus non permitterent sed ipsi tenerent; hinc *ludi osci* (Liv. VII, 2. Val. Max. II, 4, 4. Cic. epp. fam. VII, 1.). Fuerunt autem lusus scurriles a personatis acti, ita ut eaedem usque susciperentur personae Oscae. Quamquam non uno quidem toti constabant argumento, ad dramatis tamen indolem componebantur. Ipsa argumenta ad rusticam potissimum vitam spectabant; actorum personae rusticae scenaque rusticana. Interserebantur etiam *exodia* s. cantica ridicula. (C. Pomponius, Novius.)

(Cf. *C. E. Schober* de At. Lps. 1826. 8. *Pompon.* fgm. coll. *E. Munk.* Glog. 1826. 8.)

2. Satira.

§. 14.

In antiquam Atticorum comoediam a Romanis exceptam etsi gravis efferbuerat optimatium ira, non deferbuit tamen cavillandi et lacerandi studium. Idque alia sub forma scriptis se condidit et ea Romanis peculiari, *Satirae* dico, progenitae e Satura, vetere lusu inter plebem vulgari. Auctorem Satirae vere nominant *C. Lucilium* Suessanum Auruncanum c. 606 (121), equitem, Pompeji M. majorem avunculum. (Hor. sat. 1, 10i 465. 66. Juv. I, 20. Gell. XVII, 21.); nam et Enni,

carmina indole sua differebant et M. Terentii Varronis Satira Menippea, utpote mixti generis (Quint. X, 1, 95. Gell. II, 18. Cic. Acad. I, 3.). Lucilii autem satirae versabantur in aequalium, qui luxuriem, effusionem, voluptatem et ostentationem toto pectore amplectebantur, nugis et ineptiis aut severe et acriter castigandis aut jocose deridendis. (Hor. Sat. I, 4. II, 1, 62. ss. Cic. epp. ad fam. XII, 16. Pers. I, 114. sq. Quint. X, 1, 93. sq.). Ferunt ipsum *Satirarum* ll. XXX scripsisse.

Luc. fgm. ed. *Frc. Dousa.* Lugd. 1597. 4. saep.; *Havercamp* ad calc. Censorin. 1743. 8. (Reuvens; Wolf. Analect. I.)

II. Prosa oratio.

1. Historia.

§. 15.

Prima *historiae* Romanae semina quantis involuta sint tenebris et quam haereat eorum cognitio, quis est qui nesciat? Quae ore traduntur ac divulgantur per nepotes et pronepotes, commentis illa vulgo fere contaminantur, aut poetice fingentium ornatu a veritate declinantur. Pontificum curae demandati *Annales Maximi* et *Commentarii* (Cic. de or. II, 12. Br. 14.) nil videntur continuisse nisi tabulas chronologicas s. fastos. Scriptorum antiquissimi dicuntur *Qu. Fabius Pictor* (Liv. I, 44.) c. 538. (216) et *L. Cincius Alimentus* (Liv. XXI, 38.) c. 550. (204), quorum tamen historia erat annalium confectio nec certis superstructa principiis nec comta. (Cic. l. l. de div. I, 26. legg. I, 2.). Remotis Ennii, Naevii, Fannii, Pisonis et aliorum commentariis unum addimus *M. Porcium Catonem* Censorium Tusculi nat. 520 (234) mort. c. 605 (149. Cic. Br. 20.). Composuit *Originum* ll. VII s. enarrationem rerum gestarum castigatius elucubratam, sed eam, qua vera diligentius examinarentur et discernerentur a falsis (Cic. Br. 17. cll. de or. l. c. de legg. l. c. Corn. Nep. 3.); praeterea orationes (§. 16.) et *de re rustica.* (De sermone prisco Hor. epp. II, 2, 117. Cic. Br. 17.). Ceterum vir insigni in rem publicam merito clarus, constans et severus usque ad morositatem (Liv. XXXIX, 40. ss.). Aera Catoniana emendatius a Varrone prodita.

Historic. vett. fgm. coll. *A. Riccobon.* Ven. 1568. 4. (1579) *Uuspopma.* Amst. 1620. 8. in edd. Sallust. Cort. Havercamp. Frotscher. Cf. *Ge. Io. Vossius* de hist. lat. (Lugd. B. 1627. 4.) c. suppl. *Fabricii* (Hamb. 1709. 8.). — Cat. de re r. in Scriptt. rei rust. ed. *I. M. Gesner.* ed. n. Lps. 1773. II. 4. *I. G. Schneider.* Lps. 1794. IV. 8.

2. Eloquentia.

§. 16.

Romani cur non prius ad *eloquentiae* laudem pervenire potuerint, quam et civitatis conditio esset libera nec compressa dominatione libidinosa, et artis cultura procederet a disciplina et eruditione, nullo negotio intelligitur. Erudiendi autem et artis praecepta inculcandi opera a popularibus ipsis non praestita Graecorum in manus incidit, Rhetorum inprimis, qui quamquam initio tantopere viris vere Romanis moverant stomachum, ut SCto ejicerentur a. 595. (161) una cum philosophis (§. 17.), idemque fastidium in Rhetores latinos esset translatum, qui scholas post exactos Graecos conditas claudere cogebantur a. 662 (92), ita Graecae elegantiae studium et amorem inflammaverant, ut reprimi non posset, nedum exstingui. Accedebat, quod rem civilem gubernantibus inter horrida bella et intestinas discordias iterum iterumque exardescentia recens oriebatur impulsus ad dicendum coram populo, sicut et judiciale eloquendi genus succrevit crescente morum labe. Inter oratores principe statuitur loco *M. Cato* Consul a. 559 (195), tum Censor, de quo notissimum exstat Ciceronis judicium (Br. 16-18.); excellebant porro *Tib.* et *C. Gracchus*, *Serv. Sulpicius Galba*, *Aemilius Lepidus*, *Licinius Crassus*, *M. Antonius.*

Cf. Cic. Brut. de oratt. ll. Orat. — (Ellendt hist. eloqu. Rom. praef. ed. Bruti).

3. Philosophia et Juris prudentia.

§. 17.

Eadem ad Graecos affectio in *philosophia* quoque viguit, orta lectionibus trium virorum, qui Achaeorum legati Romam ingressi 599 (155) diversarum scholarum placita exposuerant, Academicae *Carneades*, Peripate-

ticae *Critolaus*, Stoicae *Diogenes* (Cic. Or. II, 37. Quint. XII, 1, 35.). Sed tum ipsum Romanorum ingenium abhorrebat ab exquirenda et perspicienda veri falsique specie, tum exterae philosophandi rationi tam exilis eveniebat ab optimatibus commendatio, ut etiam respuerent velut segnitiei magistram et morum corruptricem. Quamobrem cum rhetoribus et philosophi Graeci Romam derelinquere sunt coacti. — *Juris* dicendi formam et legem quum antea consuetudo et usus praescripsissent, mox et scripta praecepta efflagitavit mutata rei publicae constitutio. Nec antiquius exstat hujusmodi monumentum *Legibus XII tabularum*, inculto sermone confectis. Et fuerunt, qui has leges non minus quam alias multas à Senatu et populo latas probe adhiberent, explicarent, interpretarentur, novasque proponerent; qua re ad summos honores ascendere non raro contigit. (Consultum, decretum, lex; prudentes, jure s. juris consulti; *M. Cato*, *P.* et *Qu. Mucii Scaevolae*, *M.' Manilius*.)

Legg. XII t. fgm. *Iac. Gothofred.* in Quatuor font. jur. civ. Genev. 1653. 4. et in Ev. Otton. thes. jur. civ. tom. III. *Io. Nic. Funccius.* Rint. 1744. 4. *Car. Zell.* Friburg. 1826. 4. — (Dirksen; Hugo, Bach.)

Ae-

Aetas secunda.

A Sullae morte usque ad Augusti mortem 676-767 (78 a. Chr. — 14 p. Chr.)

§. 18.

Summarium.

Civilium dissensionum procellae, quibus res publica Romana vexabatur elisis omnibus virtutum nervis, tantum abfuit ut litteris magnam conferrent salutem, ut debilitare et imminuere viderentur. Quantum enim foris invalescebat civitatis auctoritas, tantum aucta domi prorumpebat animi pestis, quam triumviratus constitutio comprimere non potuit. Id tamen tempus *Ciceronem* tulit, unum omnium dignissimum, qui litterarum latinarum princeps laudetur columen ac decus; tulit et *Caesarem, Sallustium* aliosque coryphaeos. Quum autem occupato imperio singulari et sedatis tumultibus Octavianus artibus quoque ingenuis parentem ac tutorem se praeberet, beatissima diluxit litterarum aetas, splendida illa poesis lumine, quae nunc fere sola regnavit, eloquentiae fontibus propemodum obstructis. Ille vero studiorum liberalium splendor num fuisset, nisi tanta invaluisset lectio, Graecorum commendatio, aemulatio, ut vix major esse posset, quis est, qui quaerat? Scilicet Athenas et Rhodum proficiscebantur adolescentes, ut ibi philosophia et oratoria imbuerentur. — Nec *bibliothecae* publice instructae a C. Asinio Pollione 716 (38) et Augusto (Octaviana 721, Palatina 726), animi ad doctrinam affectionem confirmare non potuerunt, additis societatibus litterariis, a Cicerone, Maecenate et Augusto institutis.

I. Poësis.

1. Drama.

§. 19.

Animi adversionis ad fabulas Graecorum ratione scriptas sensim temperatae unum tantum restitit documentum illustrius, at quale Romani ingenio suopte conformaverant, *Mimos* dico. Hic ludus ne confundatur cum Graeco ejusdem nominis, observandum est, natura propius accessisse ad fabulas dramaticas. Ex Atellanis ortum esse putant (Cic. ad fam. IX, 16.). Initio autem mimis agebantur fabellarum tantummodo particulae; tum integrae illae succedebant. Dialogo locus erat et plures secernebantur actus; sed nec actionis argumentum erat nodo quodam productiore implicitum nec arte explanatum. Ridicule dicta vel acta plerumque materiam praebebant, praesertim ab hominibus inferiorum ordinum; interdum vero et morum praecepta introducebantur. (*Ἀρεταλόγοι*, *ἠθόλογοι*, *βιόλογοι* Cic. de or. II, 59.) Paulatim in scurras hi ludi easque obscoenas abierunt. (Cic. pro Rabir. 12. Coel. 27. Hor. epp. I, 18, 13. Val. Max. II, 6, 7.). Primas partes saltatus obtinebat, solas, quum mimi in *pantomimos* degenerassent. Fragmenta Mimographorum, *Cn. Mattii* (Gell. XV, 25. XX, 9.), *Decimi Laberii* equitis mordacis, quem Caesar invitavit, ut ipse mimos suos ageret (Macrob. Sat. II. 7. Suet. Caes. 39. Cic. epp. fam. XII, 18. Gell. XVI, 7. Hor. Sat. I, 10. 5, 6.) *P. Syri*, qui Laberium agendo vicit (Macr. l. c. Gell. XVII, 14.) et aliorum collecta sunt Antoninorum aevo. (Mimijambi.)

Mim. fgm. coll. Des. Erasm. Bas. 1502. 4. ex rec. Ian. Gruter, c. L. A. Senec. (c. *Sig. Havercamp* et *Preyger*). L. B. 1708. (1727.) 8. *R. Bentley*. c. Phaedr. (§. 51.) *P. Syr.* c. *Lab.* prolog. *Io. Co. Orell.* Lps. 1822. 8. supplem. 1824. 8. * Syr. (ed. *C. H. Tzschucke.*) Misen. 1790. 12. (Becher, Ziegler; Wieland ad Horat.)

2. Carmen didacticum.

§. 20.

Lucretius.

Exemplo suo jam Ennius hoc effecisse videtur, ut carmina, quae res continerent docendas, a Romanis

hac aetate primo pangerentur. Latine enim ille reddiderat Graecos Epicharmi et aliorum de natura libros. Sed viam a Graecis stratam Romano ingenio servato primus iniit *T. Lucretius Carus*, eques nat. 659 (95) propria sua manu caesus c. 704. (50), quum amatorio poculo in furorem esset versus. Poëma Lucretii *de rerum natura* ll. VI quamvis habeat, ubi aures teretes offendantur asperitate quadam sermonis et numeri, multo tamen illos tentat nativae germanitatis sensu, quem ipsa verborum vetustas alit. Exprimuntur autem illo carmine placita Epicuri de rerum origine, de superstitione, de morte et anima, alia, quae quanta festivitate versibus aptaverit noster, quanta arte intermiscuerit varia poesis lumina, mirabile profecto est. (Cf. I, 920 ss. III, 1037. ss. Cic. ad Quint. fr. II, 11. Ovid. Amor. I, 15. 23.)

Ed. pr. Brixiae (1473?). *Dion. Lambin.* e. n. Par. 1570. 4. *Th. Creech.* Ox. 1695. ed. nvss. 1807. 8. (Lps. 1776. 8.) *Gilb. Wakefield* e. n. Ox. 1813. IV. 8. *Eichstaedt.* Vol. I. Lps. 1801. 8. (nond. abs.) Germ. v. *C. L. a Knebel.* Lps. 1821. II. 8. (Forbiger; Manso in Nachtr. zu S. VII. 2.)

§. 21.

Virgilius.

Heros ille Romanarum litterarum, qui Aeneida cecinit, fidibus et uti ad consilia de re rustica danda optime intellexit. Lucem primam vidit *P. Virgilius Maro* Andibus in agro Mantuano a. 684 (70), parentibus villaticis oriundus. Juventutem Cremonae exegit. Ut in litteris erudiretur, Mediolanum, Neapolin, dein Romam se contulit. Sed re familiari bellis civilibus diffusa in praedium Andinum se recepit, ubi Musis primum calamum suum initiavit. Quum vero post pugnam Philippensem illud a militibus diriperetur, Romam confugit et in gratiam Augusti ac Maecenatis est receptus. A. 735 (17 p. Chr.) ex Graecia redeuntem (Hor. Od. I, 3.) tristissima oppressit mors subita Brundusii. Inde Octaviani jussu cadaver ejus Neapolin transportatum ad viam Puteolanam humatum est. Quo viro ipsi Romani vix aliquem poëtam majorem censuerunt (Quint. X, 1, 85.) et fuit sane eximio ingenio ac, licet plurima mutuatus sit a Graecis, summa elocutionis pro-

prietate et dictionis elegantia. Nomen Virgilii concelebrant 1. *Bucolica* s. X *Eclogae*, opus juvenile, scriptum c. 712-17 (42-37), ad Theocriti exemplum; 2. *Georgica* s. de re rustica ll. IV, quod carmen a nonnullis vel Aeneidi anteponitur ob dispositionis artem, rerum scitam compositionem, rhythmi et sermonis praecipuam venustatem; 3. *Aeneidos* ll. XII (v. §. 24.) 4. Carmina minora, s. *Catalecta, Culex, Priapeia, Moretum, Ciris Copa* al., nitida pleraque et comta, quorum tamen maxima pars Virgilio abjudicatur. (Schol. Servius Maur. Honorat. c. 400 p. Chr., Valer. Probus, Donatus, Philargyrius.)

Opp. ed. pr. Rom. 1469. fol. c. Serv. Ven. 1471. f. *Ld. de la Cerda.* e. n. Col. 1642-7. III. f. *Petr. Burmann.* c. schol. et nott. Heins. Amst. 1746. IV. 4. *Chr. G. Heyne* ed. 3. Lps. 1803. VI. 8. *ed. Heyn. min. cur. *Wunderlich* et *Ruhkopf.* e. nv. Lps. 1815. 16. (1822.) II. 8. (* edd. comp. *Lünemann.* Gott. 1818. 8. *I. Chr. Iahn.* Lps. 1825. 12.) Georg. lat. et germ. c. comm. *I. Hr. Voss.* e. n. Alton. 1797. 1800. IV. 8. Opp. germ. v. *Voss.* e. nvss. Brunsv. 1821. III. 8. Ecl. *Manso.* Ien. 1783. 8. Aen. *C. L. Neuffer.* Fcf. 1816. II. 8. gall. *I. Delille.* e. n. Par. 1821. IV. 12. Georg. 1807. VI. 4 et 8. (Heinrich, Ilgen; Manso in Nachtr. VII. 2.)

§. 22.

Ovidius.

„Nimium amatorem ingenii sui, laudandum tamen partibus" Quintilianus (X, 1, 88. cll. 93. 98.) dicit *P. Ovidium Nasonem*, natum Sulmone in Pelignis 711 (43 a. C.) equestri ordine. Patris consilio obsecutus, juvenis a carminibus animum abstraxit et ad caussas et forum intendit, qua quidem in re tantum profecit, ut judicio Centumvirorum praeficeretur. Sed quum esset contra naturam vana contentio, mox ad institutum revertit totumque se Musis dedit, quae eum inde a puero devinctum et irretitum tenebant. Anno aetatis LI. Tomos in Pontum relegatus ab Augusto, cujus gratia exciderat, incertum, qua de causa, (cf. Trist. II, 103, sq. 137. 207.) procul Roma diem obiit 770 (17 p. C.) Ingenii felicitatem et ubertatem, rerum cognitionem studio diuturno comparatam in rebus vel siccis et frigidis, depingendis et luminibus salibusque illustrandis fertilitatem et urbanitatem quandam vix quisquam Ovidio deroget;

accedit incorrupta Romani sermonis puritas; sed dulces affectus infringit cumulatior quaedam dictionis poëticae profluentia et ad oratorum rationem conformatio, castosque mores laedit inverecundior lusus Venereos describentis lascivia. (Cf. Senec. Controv. II, 10. IV, 28.) Ex ejus scriptis referuntur ad genus didacticum: 1. *Artis Amatoriae* ll. III, quos sicut specimen carminis vere didactici licet intueri, a re ipsa si discesseris; 2. *Remediorum amoris* ll. II, paulo minoris habendos; 3. *De medicamine faciei*, pars operis prolixioris; 4. *Fastorum* ll. VI priores (cf. Trist. II. 549), totidem mensium festa et rationes e commentariis Pontificum repetitas continentes; opus eruditum quidem et copiosa rerum sacrarum scientia refertum, sed intellectu difficile; 5. *Halieuticon* s. fragmentum de piscibus spurium (Gratii?). Heroico generi inserimus *Metamorphoses* (§. 25.), elegiaco *Amores*, *Tristia*, *Epistolas ex Ponto*, *Heroides* (§. 29.); *Ibis* s. imprecatio in amicum perfidum et *Nux* occasioni originem debent; inter Catalecta multa sunt supposititia.

Opp. edd. pr. Puteolan. Bonon. 1471. fol. Rom. 1471. sq. II. f. Ald. 1502. III. 8. saep.; *Nic. Heins.* e. n. Amst. 1668. (1676.) III. 12. *Ptr. Burmann.* Amst. 1727. IV. 4. *I. Chn. Iahn.* Tom. I. Lps. 1827. 8. (* edd. comp. *Chr. Guil. Mitscherlich* e. n. Gott. 1819. II. 8. *Baumgarten-Crusius.* Lps. 1825. III. 12.) Amatoria *C. G. Wernsdorf.* e. n. Helmst. 1802. II. 8. Fast. *Th. E. Gierig.* Lps. 1812. 8. index. 1814. 8. * *I. Ph. Krebs.* Wiesb. 1826. 8. (* ed. comp. *F. Chr. Matthiae.* Fcf. ad M. 1813. 8.) Metam. * *Gierig.* ed. III. cur. *I. Chr. Iahn.* Lps. 1821. sq. II. 8. (* ed. comp. *Bellermann.* Erf. 1820. 8.; graec. a Max. Planude redd. ed. *I. Fr. Boissonade.* Par. 1822. 8.) Trist. ex P. et Ib. *I. Ier. Oberlin.* Argent. 1776. 78. II. 8. Tr. * *Fr. Th. Platz.* Hann. 1825. 8. *Fr. N. Klein.* Confluent. 1826. 8. Heroid. c. comm. gall. *Bachet de Meziriac.* e. n. Hag. 1716. II. 8. c. Sabin. epp. *Dv. Ic. van Lennep.* Amst. 1809. 8. Germ. v. Metam. part. *I. H. Voss.* Brunsv. 1798. II. 8. Art. A. *Fr. C. a Strombeck.* Gott. 1795. 8. Rem. A. *Stromb.* Gott. 1808. 8. Erotic. *I. I. a Gerning.* Fcf. 1815. 8. (Masson, Rosmini, Iahn de Ov. vita; Manso in Nachtr. III, 2.)

§. 23.

Lucilius Junior. Gratius. Macer. Manilius.

Sub Cornelii Severi nomine diu ferebatur carmen *Aetna* inscriptum, imaginem insignis hujus montis ejus-

que eruptionis sistens, quod tamen *Lucilio* cuidem Juniori originem debere nuper demonstratum est. Ab elegantia atque eruditione commendabile est *Gratii Falisci* (Ov. Epp. ex Pont. IV. 16. 34.) carmen *Cynegeticon* s. de venatione; sed versus duriusculi infelicem ostendunt Virgilii imitatorem. De *avibus*, *serpentibus* et *herbis* versibus disseruit *Aemilius Macer* (Quint. X, 1, 56. 87.). Falso ipsi tribuitur carmen de herbarum virtutibus. *M. Manilius* cecinit *Astronomicon* ll. V s. de astrorum viribus, Arati exemplar secutus. Exordia quidem et episodia lectu digna, sed in ipso poëmate interdum pedestris oratio cum vincta de victoria certare videtur. (*Caesar Germanicus*).

Luc. Aetna in compll. Virg. edd., in *I. Chr. Wernsdorf.* Poet. lat. min. (Altb. et Helmst. 1785-99. VI. 8.) T. IV. *Fr. Iacob.* Lps. 1826. 8. — *Grat.* in Poet. lat. rei venat. scr. et bucol. ant. (ed. *Sig. Havercamp*). Lugd. B. et Hag. 1728. 4. Poët. lat. min. ed. *P. Burmann.* Lugd. B. 1731. (II. 4.) T. I. *Wernsd.* T. I. – *Manil.* ed. *Ios. Scaliger* e. n. Lugd. B. 1600. 4. *R. Bentley.* Lond. 1739. 4. l. et gall. *Pingré.* Par. 1786. III. 8.

3. Carmen epicum.

§. 24.

Catullus.

Antiquissimis Romanorum poëtis epicis, Ennio et Naevio, commune erat cum Graecis ejusmodi argumenta eligendi studium, quae ad nomen civium concelebrandum facerent; sed arte carebant primordia illa. Nec secunda aetas initio meliora protulit, ne Argonauticis quidem *Terentii Varronis* exceptis, quibus nil continebatur nisi quod ab Apollonio Rhodio graece fuerat editum. (Quinct. X, 1, 87. Ov. A. A. III, 335. Trist. II, 439.). Praestante tamen ingenio fuit *C. Valerius Catullus*, nat. in Sirmione peninsula lacus Benaci (di Garda) in agro Veronense 668 (86 a. Chr.). Intemperante ille vitae consuetudine usus fato mature concessit; probatur tamen ipsum ad a. 707 (47 a. Chr.) vixisse. Catulli carmina pleraque animum etsi spirant mollem et delicatum, ut lyrae fidibus cani quam heroico ingredi passu malint, non dubitavimus tamen, eum jam nunc laudare propter cantiunculas complures nitidas versu

hexametro strictas, quibus res narrantur fabulosae, ut in praeclaro illo Thetidis Epithalamio; de ceteris lyricis, elegicis, epigrammaticis infra sumus dicturi (§§. 26. 27. 50.) Quaecunque vero supersunt, utrum magis placeant naturali quadam facilitate et simplicitate an affectu tenero et hilari difficile est dictu. (Cf. Vellej. II, 36. Gell. IV, 20. Corn. Nep. Att. 12.). Utinam et castitati semper studuisset!

Cat. ed. pr. c. Tib. Prop. Stat. (Venet.) 1472. 4. *Pallad. Fusc.* Ven. 1496. f. *A. Muret.* Ven. 1534. c. T. et P. 1558. 8. *Achill. Stat.* Ven. 1566. 8. C. T. P. *Ios. Scaliger.* e. n. Heidb. 1600. 8. Cat. *F. G. Doering.* Lps. 1788. 92. II. 8. *C. Iul. Sillig.* Gott. 1823. 8. carm. VI prior. *I. G. Huschke* in Analectt. litterar. Lps. 1826. 8. eleg. ad Manl. *Lr. Santen.* L. B. 1788. 4. Germ, part. v. *C. G. Ramler.* Lps. 1793. (1810.) 8. (Mitscherlich, Hand, Sillig; Iacobs in Nachtr. I. 1.)

§. 25.

Virgilius. Ovidius. Alii.

Virgilii Aeneida quis non miretur? Nam est in suo genere opus sane excellentissimum. Nec materia desumi poterat Romanorum auribus jucundior. Solebant enim originem derivare ab Aenea, quem Virgilius narrat profugum e Troja diruta post multa fata terra marique exacta Latii littoribus appulsum coloniam condidisse, et superato Turno Rutulorum principe, contractis cum Latinorum rege affinitatis vinculis firmasse. Cui argumento poëmatis principi tanquam secundarium illata est descriptio excidii Trojae urbis. Homerum Virgilio ducem et exemplum fuisse et totius carminis demonstrat designatio et partium arguit in singulis expositio. Ac magistrum quidem non aequiparat discipulus imaginum nec copia nec delectu, neque assequitur ingenii sublimitate. At inest Aeneidi summa partium consensio et ad unum finem directio cum eruditione et urbanitate exquisita. (Cf. §. 21.). — In hoc ordine incedit etiam egregium *Ovidii* opus, *Metamorphoseon* ll. XV, propter res fabulosas, mutationes et causas mirabiles epica ratione propositas. Versatur autem poëta inprimis in eo consilio, ut de priscae vetustatis natura ejusque moribus et rebus divinis referat, usque ad Julii Caesaris tempora; idque efficere studet fabulas evolvendo, quibus satis sub oculos ponitur, quo dii animo rexerint fata humana. (Cf. §. 22.). — E reliquis, quorum nil aevum

tulit, de meliore nota commendantur *L. Varius*, Virgilii et Horatii amicus (Hor. Od. I, 6. Sat. I, 10, 43. sq.), cujus laudatur *Panegyricus in Augustum* et carmen *de morte* (Caesaris), *T. Valgius Rufus*, a Tibullo maximi habitus (IV, 1, 180.), *C. Helvius Cinna*, *Plotius Tucca*, cui Virgilius Aeneidem edendam tradidit.

4. Carmen lyricum.

§. 26.

Quaerentibus, cur tam parum lyrici ingenii fuerit inter Romanos, ut vix de duobus nobilior circumferatur fama, qui plectrum percutere et modos leviores canere noverint, illud inprimis est observandum, poesi lyricae aditum patefieri non potuisse nisi inter politiorum hominum circulos, qui Graecarum litterarum essent studiosi. Nam fuerunt haud pauci, qui abhorrere istiusmodi cantus enervatos a virtute Romana dicerent. Unde simul illustratur, qui venerit, ut fere non prius nisi libertate exstincta in gratiam reciperentur lyrae modi. *Catulli* enim poëmatia, licet festiva et jucunda, altius non assurgunt nec tota sunt Romana. Ac *Pervigilium Veneris*, quo nomine inscribitur nobilissimus in amorem hymnus, num sit Catulli aut recentioris cujusdam, inter Viros doctos adhuc discrepat. At unus omnium princeps divina quasi mente cecinit *Qu. Horatius Flaccus* nat. Venusiae in Apulia 689 (65 a. Chr.), patre libertino quidem nec opulento (Serm. I, 6, 71.), sed honesto (Serm. I, 4, 105. sq. 6, 65. sq.). Puer ille Romae erudiebatur, anno autem aetatis vigesimo Athenas adiit, philosophiae Epicureae se daturus. Mox idem M. Bruti familiaritatem adeptus, militavit sub eo tribunus militum (Serm. I, 6, 45.) in proelio Philippensi, cujus fatalem post exitum Romam rediit fugax (Od. II, 7.) versusque facere incepit, fame ac gloriae cupiditate coactus (Epp. II, 2, 49. ss.). Ex quo inde in Maecenatis et Octaviani amicitiam fuit adscriptus, secure vitam in otio transegit, provectioribus quidem annis in villa Sabina frequenter commoratus; vitam posuit Romae 746 (8 a. Chr.). Si autem inter poëtas maximam is in se habet commendationem, qui naturae dotibus praeclaris assidua cura expolitis excellit, ut ceteris tamquam exem-

plar proponi queat, non est, quod Horatio palmam obtrectemus; in eo enim os magna sonaturum cum ingenio nisi Pindarico certe cuicunque alii pari accessit ad subtilissimam sentiendi atque imaginandi facultatem; in vitae elegantia et hominum politiorum urbanitate ita erat versatus, ut, statura quamquam brevi, corpore obeso, oculis lippis, mature jam se insinuaret in eam philosophiam, quae nititur singulari morum humanitatis scientia, eamque cum poësi arctissimo conjungeret amicitiae vinculo. Linguam Romanam felicissimo successu ad numeri et mensurae Graecorum rationem lyricam effinxit in *Odarum* s. *Carminum* ll. IV, in quibus Alcaei, Sapphonis aliorumque exemplum est secutus, moderato tamen affectus fervore argumentisque certiore consilio circumscriptis. Sunt vero partim hymni (I, 31. III, 18), partim dithyrambi (II, 19. III, 25.), partim epigrammata et carmina sollemnibus sive peculiari occasioni debita, sublimitate, venustate et animo nobili conspicua (Ov. Tr. IV, 10, 49. Juv. VII, 53. ss. Quinct. X, 1, 96.). Idem color in *Epodon* libro et *Carmine Saeculari* Augusti jussu composito. De *Sermonibus* s. *Satiris* (ll. II) et *Epistolis* (l. II) v. §. 30.

Ordo temp. Sermon. l. I. 39-37 a. Chr. II. 34-32. Epod. 31-30. Od. I. 29-27. II. 25-24. III. 23-22. Epp. I. 19-18. Od. IV. et c. saec. 16-14. Epp. II. Scholiast. Acron et Porphyrion.

Perv. Ven. in *Wernsd.* Poet. L. III. lat. et germ. *A. Moebius.* Susat. 1816. — *Hor.* pr. opp. s. l. et a. (1471?) c. schol. (Rom. 1476.) f. Ald. ed. opt. 1519. 8. c. comm. *Dionys. Lambin.* e. n. Par. 1567. 1605. c. nov. sch. *Iac. Cruquius* Antv. 1578. 4. saep.; *Rich. Bentley* Cantbr. 1711. 4. Amst. 1728. 4. e. n. Lps. 1826. II. 8. (B. not. rec. cur. *I. Fr. Sachse.* Quedl. 1825. 8.) *Chr. G. Mitscherlich.* Lps. 1800. II. 8. (nond. abs.) *Car. Fea.* Rom. 1811. II. 8. rep. e. *F. H. Bothe.* Heidb. 1820. 21. II. 8. * *Fr. G. Doering.* e. n. Lps. 1824. II. 8. * e. n. Baxter. Gesn. et Zeun. c. *Bothe.* e. n. Lps. 1822. 8. (* edd. comp. *Lünemann.* Gott. 1818. 8. *Pauly* Tub. 1823. 8. *Iahn.* Lps. 1824. 12. etc.) Satir. c. comm. *L. Fr. Heindorf.* Vratisl. 1811. 8. Sat. I, 1. *F. A. Wolf.* Berol. 1813. 4. (Obbarius, Kirchner, Zell.) Opp. germ. v. *I. H. Voss.* e. n. Brunsv. 1821. II. 8. (Ramler, Günther, Scheller). Sat. *Wieland.* ed. nvss. Lps. 1818. II. 8. Epp. *Wiel.* e. nvss. Lps. 1819. II. 8. Gall. *Sanadon.* ed. n. Amst. 1733. II. 4. 1756. VIII. 12 *Daru* ed. n. Par. 1820. IV. 12. (Schmid, Koeppen, Boettiger, Eichstaedt, Morgenstern, Heinrich, Weichert, Kiessling al.; Herder; Masson, Lessing, van Ommeren de vit. H.; Manso in Nachtr. IV, 2. V, 2.)

5. Carmen elegiacum.

§. 27.

Tibullus.

Romanorum elegiae, Tibullum et Ovidium quamquam suo obtemperasse ingenio, infitias non imus, id maxime genus placuit, quod ab Alexandrinis erat cultum, doctum illud quidem et luminibus obsitum. Materiem subministrant amoris deliciae. Primus elegiarum apud Romanos poëta habetur *Catullus;* nam vix elegiae nomen merentur *Dirae* s. imprecationes, quas *Valerius Cato* (§. 40.) propter agros ipsi ereptos et Lydiam amissam jecit; sed etiam *Cornelium Gallum* Forojuliensem nat. c. 685 (70 a. Chr.), Aegypti Praefectum, qui semet ipsum trucidavit 728 (25 a. C.), Augusti gratiae expers factus ob malam muneris administrationem, inter potiores recenset Quintilianus (X, 1, 93.). Utrum VII elegiarum, quae ipsi assignabantur, unam saltem („Non fuit Arsacidum") ipse scripserit an ne hanc quidem, nondum satis est exploratum. Ceteras sex Maximianum quendam saec. V. p. C. auctorem habuisse putant. Sensu autem mollissimo et delicatissimis, quibus animi fluctuantis et ab amore agitati exprimit ardorem, dolorem ac desiderium, querelis lectorem permulcet simul et movet *Albius Tibullus.* Ex equestri ordine is natus est c. 700 (54 a. C.), aut aliquanto prius. Tristibus tertii triumviratus annis patrimonio, quod amplum habuerat, ipsi imminuto, ut nil relictum fuerit, nisi praediolum in Latio, reliqua vita usus est inter amoris et otii delinimenta, scilicet perbrevi, utpote qui moreretur trigesimuum vix annum egressus 735 (19 a. C.). Vitae rusticae laudem pronuntiando, avaritiam et bellum vituperando, de amoris rejecti vel neglecti acerbitate expostulando, amicitiam laudibus efferendo exhibet naturalem illam ad placidam serenitatem animi propensionem, immixtis perturbationibus repente commotis cum mollitudine in tristitiam et aegritudinem abeunte (v. II, 4 et 6. III, 6.), insignis ob elocutionis simplicitatem et proprietatem (Hor. Epp. I, 4. Ov. Amor. III, 9.). *Elegiarum* ll. IV num omnes ipse composuerit, adhuc quaeritur; librum quidem tertium Jo. Henr. Vossius Lygdamo cuidam adscripsit, alii saltem spurium judicant: libri quarti vero pars a quibusdam *Sulpiciae* tribuitur.

Cat. Dir. in *Burm.* Anthol. T. II. *Wernsd.* III. *Eichstaedt.* Ien. 1826. 4. (Sillig; Iacobs in Bibl. vet. litt. et art. fsc. IX.). — *Corn. Gall.* in plur. Catulli cdd.; *Wernsd.* III. IV. V. p. 3. VI. p. 1. — *Tib.* ed. pr. s. l. et a. (1472. 4.). c. Cat. et Prop. *Muret. Scalig.* v. §. 24. *Heynii* ed. IV. cur. *Wunderlich* Lps. 1817. 8. supplem. ed. *Ludph. Dissen.* Lps. 1819. 8. (c. Lygdam.) *I. H. Voss.* Heid. 1811. 8. *Imm. G. Huschke.* Lps. 1819. II. 8. **Ern. C. Chn. Bach.* Lps. 1819. 8. Germ. v. *Voss.* Tub. 1810. 8. *Fr. C. a Strombeck* e. n. Gott. 1825. 8. (Eichstaedt, Spohn de vit. p. I. Lps. 1819. 8.; Manso in Nachtr. II. 1.)

§. 28.

Propertius.

Sextus Aurelius Propertius, e Hispello Umber, pari juvenis calamitate obrutus (IV, 1, 127. ss.), identidem in amore amoremque canendo solatium quaesivit, doctum Alexandrinorum, Callimachi et Philetae praecipue, ornatum imitatus (cf. III, 1.). Obiit a. 738 (16 a. C.). Eruditionis autem illius poëticae aucupio factum, ut Propertius molliores desiderii ac moeroris impulsus minus curaret menteque tranquilliore amaret, ad crassiores sensus proclivi; ideo vero nervosior est acceditque ad epicorum ingenium (cf. III, 3, 10.); scribendi cura et diligentia laudabilis. Vulgo *elegiarum* numerantur ll. IV (ab aliis V), quorum tres priores Cynthiam concelebrant, quartus est heroici generis.

Edd. pr. c. Cat. et Tib.; seors. *Broukhus.* ed. n. Amst. 1727. 4. c. comm. Burmanni II. ed. *Laur. Santen.* Traj. 1780. 4. *Car. Lachmann.* Lps. 1816. 8. Germ. v. *a Knebel.* Lps. 1798. 4. *Strombeck* e. n. Brunsv. 1822. 8. (Ast, Mitscherlich, Huschke, Nobbe; cf. Muret. Opp. Tom. II. p. 903. ss. Ruhnk. p. 135. ss. Kays., Manso Nachtr. III. 1.)

§. 29.

Ovidius. Pedo. — Heroides.

A Tibullo et Propertio mirum quantum in eo differt *Ovidius*, quod in *Amoribus* magis etiam nimiumque voluptatis ac rerum in sensus externos cadentium studiosum lasciviaque indecora abundantem se praebet, in *Tristibus* et *Epistolis ex Ponto* fortunae vicissitudine omnino fractum ac demissum, ut nil nisi querimonias easque frigidiores audiamus. Ovidio aequalis erat *C. Pedo Albinovanus* (Ov. ex P. IV, 10, 71.), quem pul-

chrae *ad Liviam de morte Drusi* elegiae, et minus probabiliter etiam exiliorum *in obitum Maecenatis* sicut *de Maecenate moribundo* elegiarum auctorem ferunt. Nec *Elegiam* ad *M. Valer. Corvin. Messalam* incerti auctoris suavem ac tersam in hanc aetatem pertinere negatur; adde *Copam*, quae perperam legitur inter Virgiliana. — Singulare propriumque Romano ingenio *Heroidum Epistolarum* est inventum, inter amantes et maximam partem a heroidibus scriptarum in peculiaribus vitae conditionibus, ut aut absentium luctus et desideria aut crudelitatis perfidiaeve moerorem evolvant. Animi affectus in illis querendo vehementius usque concitantur et gravius effluunt; versus est elegiacus. Priorem Ovidio nullum novimus, qui istas scripserit. Sed *Aulus* quidam *Sabinus*, Ovidii amicus (Amor. II, 18, 27. ss. ex P. IV, 16, 13.), tres epistolas ita scripsisse dicitur, ut mulieribus, quas ille scribentes induxerat, virorum nomine responderet; *Ulyssis Penelopae*, *Demophoontis Phyllidi*, *Paridis Oenonae*.

) *Ped. Alb.* inter Catal. Virg. *Wernsd.* III. eleg. in mort. Dr. *C. D. Beck.* Lps. 1783. 8. — *A. Sab.* int. Ovid. Epp. (§. 22.)

6. Satira. Epistola.

§. 30.

Characterem quidem Lucilianum videmus in satiras Horatianas transiisse, ita tamen, ut festivior appareat et in hilaria conversus. Quare abest ab illis severa tristisque vitiorum objurgatio, ejusque locum tenet jocus venustus lenisque, ortus ex urbanitate morum. Ubique tenero Horatius ironiae aculeo usus pellem stultis detrahit, risum captans; ubique intimam prodit hominum et rerum humanarum scientiam judiciumque subactum (cf. §. 26.). Mixtam idem in *Epistolis* secutus rationem, in quibus oblectare simul vult et eas res docere, quae in vitae usum opportune cadant, veste interdum satirica non exuta. Quarum nulla nec prolixior nec praestantior epistola *ad Pisones de arte poetica*.

(Cf. *Morgenstern* de discrim. sat. et. ep. Hor.; Manso in Nachtr. IV, 2. VI, 2.)

II. Oratio pedestris.

1. Eloquentia et Philosophia.

§. 31.

Cicero.

In unum Ciceronem summus convenit et eloquentiae et philosophiae Romanae flos. Nam *Qu. Hortensius,* Consul a. 685 (69 a. C.), licet orator vehemens ac grandiloquus (Cic. Br. 92.) attingere illum non potuit. *M. Tullius Cicero* lucem vidit in villa Latina prope Arpinum (de legg. II, 1.) a. 648. (106). Primitiis litterarum studii Romae factis primisque pro Quintio et S. Roscio Amerino orationibus habitis Athenas Rhodumque migravit, eo consilio, ut ampliori uberiorique animi ad oratoriam artem conformationi operam daret (Br. 91.). Romam reversus indefessa rei publicae cura et ingenii praestantia effecit, ut per inferiores gradus ad consulatum ascenderet 691 (63). Atque adeo Consul in Catilinario isto incendio civitati fuit saluti, ut Pater Patriae publice appellaretur. Clodii quidem invidia tantum polluit, ut urbe cedere cogeretur bonisque privaretur; nec vero diu res publica communi libertatis propugnatore potuit carere revocatusque quindecim vix mensibus exactis Pompeji impulsu, denuo fortiter a partibus Pompejanis stans patriam servare studuit usque eo dum Caesaris victoria Pharsalica ipsum a rebus publicis removit et ad villas Puteolanam et Tusculanam ablegavit, ubi assidue litteris incumbens complures elucubravit scriptiones philosophicas. Caesare autem interfecto in civilium rursus motuum inductus consortionem Antonio vehementer obstitit, cujus auctoritate factum, ut vitam exhalaret 711 (43) sub percussorum manibus. (C. Popillius Laenas) Hunc litterarum Romanarum custodem qualis ab ingenio et moribus fuerit aestimandus si consideraveris, inveniuntur sane, quae gloriam aliquantulum queant obscurare, nimia sui fiducia, laudis cupiditas, ambitio animique ignavia; at plurima contra, quae tum illis excusationem dent tum honori sint, patriae amor integerrimus in angustissimis rei publicae temporibus, honestas, fides incorrupta vel in hostes. In litteris autem quantum fecerit et qualem ingenium gran-

de, acerrimum, fecundissimum, quis est, qui ignoret? ne illi pretium avare statuamus, quod pedestrem Latinorum orationem ad eam extulerit perfectionem, cui nihil postea quisquam addere quid potuerit. „Hunc igitur spectemus; hoc propositum nobis sit exemplum: ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit." (Quintil. X, 1, 112. Cf. omnino 105 ss.)

§. 32.

De eodem.

Ciceronis scripta tum *oratorii* sunt argumenti tum *philosophici* tum *diversi*, quale in *epistolis* declaratur. Inter *oratoria* eminent potissimum *Orationes* partim *pro Senatu*, partim *coram populo*, partim *in judiciis* habitae. In orationibus quidem summa ejus cernitur virtus ac perfectio. „Nec illa profecto plebis litteratae est opinio, sed fuit ab omni tempore prudentissimorum hominum certa sententia, in Cicerone perfectae eloquentiae modum et quasi mensuram contineri" *). Quumque nemo fuerit, qui Demosthenem eloquendo superaverit, unus fere exstitit Cicero, qui aemulus illi evaserit gloriae. Orationes LIV aetatem tulerunt, annumeratis iis, quae dubitatum est num germanae sint (*post red., ad Quir., pro domo sua ad Pontif., de haruspicum respons., pro Marcello*); eximium inter eos locum tenent, quas *pro Archia, pro Milone, in Catilinam, pro Roscio Amerino* habuit. Inter scripta autem ad oratoriam pertinentia referuntur *de inventione rhetorica* ll. II, fortasse pars majoris operis rhetorici, quod e IV ll. constabat, annis juvenilibus scripti, excellentissimi dialogi *de Oratore ad Quintum fratrem* libri III, provectioribus annis more Aristotelico diligentissime concinnati (cf. epp. ad div. I, 9. ad Att. XIII, 19.), in quibus et eloquentiae dignitatem praestantiamque demonstrat, et optimam animos persuadendi, delectandi, movendi rationem ostendit et de elocutione, pronuntiatione et actione disserit; tum *Orator*, in quo libro perfecti ab omnibus partibus et absoluti oratoris speciem et formam

---

*) Wyttenb. in Bibl. crit. I. 2. p. 1. ss. Opusc. Tom. I. p. 197. ed. Friedem.

effingit, *Brutus* s. *de Claris Oratoribus* libellus tamquam brevis eloquentiae apud Graecos et Romanos historia considerandus, *Topica ad Trebatium*, *de Partitione Oratoria* dialogus, *de Optimo Genere Oratorum* commentariolum praemissum conversioni Demosthenis et Aeschinis de corona orationum deperditae. *Rhetoricorum ad Herennium* ll. IV nonnulli a Cornificio quodam confectos censent, ab ipso Cicerone plurimi negant.

§. 33.

De eodem.

In *philosophicis* commentationibus pleraque ille quidem e graecis fontibus duxit, praecipue Stoicorum et Academicorum, quibus tamen si careremus, magnae profecto philosophiae antiquae partis aut nullam aut non haberemus nisi mancam scientiam. Praeterea his suum subjecit judicium suamque rationem; ad morum disciplinam plurima retulit; linguam latinam ad philosophicum usum conformavit. Reliquit autem 1. *Academicarum Quaestionum* ll. IV, quibus Academiae recentioris praecepta tradidit, quibusdam mutatis ab ipso in nova editione; 2. *de Finibus Bonorum* et *Malorum* ll. V, quibus tum Epicureorum et Stoicorum, tum Academicorum et Peripateticorum sententiam de ea re exponit, ita quidem, ut videamus, hanc ipsi maxime placuisse; 3. *Disputationum Tusculanorum* ll. V, de rebus variis ad honeste vivendum facientibus, de mortis contemtione, doloris patientia, de affectibus, aliis; 4. *de Natura Deorum* ll. III, documentum animi a superstitione alieni, quo Stoicorum et Epicureorum de Deo placita refelluntur; 5. *de Divinatione* ll. II, cum fragmento *de Fato*, confinis argumenti; 6. *de Legibus* ll. III, e quinque, Platonis exemplo et imitatione conscriptos; 7. *de Re Publica*, cujus operis nuper copiosa et continua VI libronem fragmenta sunt detecta, unde totius operis rationem eruere licet; 8. *de Officiis* ll. III, opus aureolum, disquisitiones de honesto, utili et decoro secundum Panaetii praecepta continens, multis exemplis illustratas, in usum Marci filii concinnatum; 9. *Cato Major* s. de senectutis molestiis et jucunditatibus; 10. *Laelius* s. de amicitia; 11. *Paradoxa* VI Stoicorum s. sententiae, quae vulgari opinioni contradicant; 12. *Somnium Scipionis*.

§. 34.

De eodem. Epistolae.

Ad historiam illius temporis probe cognoscendam magni momenti sunt *Epistolae* Ciceronis; nam plurimum conferunt ad intelligendum, qui factum sit, ut rei publicae libertas praecideretur. Nec vero solum res Romanorum optime illae illustrant, sed etiam exterarum gentium; efficiuntque, ut majorem cum Ciceronis, Caesaris et aliorum ingenio, animi indole et moribus familiaritatem contrahere possimus. Pleraseque autem ultimis vitae temporibus scripsit, nec ipso vivo sunt collectae. Elocutio nunc simplex, suavis sed incomta, nunc ornata, illustris, splendida. Discernuntur epistolarum *ad familiares* s. *diversos* ll. XVI, *ad T. Pompon. Atticum* ll. totidem, de quibus cf. Cornel. Nep. vit. Att. cap. XVI., et *ad Quintum* fratrem (qui dicitur auctor libelli *de petitione consulatus*). Spuriae videntur epp. ad *M. Brutum*. Praeterea exstant et fragmenta quaedam poëtica, quae juvenilium exercitiorum naturam prae se ferunt. (Aratea; de gloria; — Hortensius; Oeconomica).

Edd. pr. de off. Mogunt. Fust et Schoiffer. 1465. f. ed. alt. 1466. f. de orat. Rom. per Sueinheim. et Pannarts c. 1467. f. epp. ib. eod. de off. Parad. Lael. Br. Or. ib. 1469. f. c. al. Ulr. Han. ib. 1469. 4. Opp. ed. pr. Minuciani Mediol. 1498. IV. f. *P. Victor.* Ven. Iunt. 1534-37. IV. f. c. var. lectt. 1538. *Paull. Manutius.* Ven. 1540-46. IX. 8. *Dion. Lambin.* Par. 1566. IV. t. in II voll. f. *Io. Guil. et Iac. Gruter.* Hamb. 1618. IV. f. c. clav. *I. Aug. Ernesti.* ed. n. Hal. 1774. ss. V. 8. (*1820. ss. VII. 8. acc. de rep. et var. lectt.) ex rec. *Graev.* c. n. *Gsp. Garatonii* Neap. 1777. ss. Tom. I-XI. XIV-XVII. XXIII. XXIV. 8. (Off. C. L. Par. Oration. p. Epp. de inv. de opt. g. or.; *Gar.* notae seors. p. I. Havn. 1825. 8.) c. var. lectt. LV cod. Oxon. 1783. X. 4. *Chr. D. Beck.* Lps. 1795-1807. IV. 8. (non absol.) c. Lexic. Ciceron. *Chr. G. Schütz.* Lps. 1814-26. XX t. in XXVII pp. *I. Csp. Orell.* Turic. 1826. sq. I. II, 1. 2. 8. maj. (des. adh. III et IV. *ed. comp. cur. *Nobbe.* Lps. Tchn. 1827. X. 16. ed. ster. in I vol. ib. eod. 4.). Orationn. c. comm. Ascon. Pedian. *I. Ge. Graev.* Amst. 1695-99. VI. 8. oratt. IV (spuriae §. 32.) *Fr. A. Wolf.* Ber. 1801. 8. pro Marcell. *Wolf.* ib. 1802. 8. orr. Philipp. c. Garat. comm. *G. G. Wernsdorf.* Lps. 1821. sq. II. 8. *ed. min. *W.* ib. 1825. 8. *Orell.* Turic. 1827. 8. mai. or. pro Plancio c. c. Garat. *Orell.* Lps. 1825. 8. pro Mil. c. c. Gar. *Orell.* ib. 1826. 8. *orr. VII. sel. *A. Matthiae.* ed. II, Lps. 1826. 8. **A. Moebius.* Hann. 1822-25. II. 8. (Manut. comm., Weiske;) or. pro Archia *M. C. B.* Lps. 1818. 8. orr. pro Scaur. Tull. Fl. pp. ined. pr. ed. *Ang. Mai.* Med. 1814. VI orr. fgm. *A. Mai.* ed. II. Mediol. 1817. 8.

8. orr. pro Font. et Rabir. fgm. c. al. *B. G. Niebuhr* Rom. 1820. 8. orr. pro Sc. T. Fl. pp. ined. *A. G. Cramer* et *C. Fr. Heinrich.* Kil. 1817. 4. pro. Sc. T. et in Clod. fgm. *Am. Peyron.* Stuttg. 1823. 4. *C. Beier* Lps. 1825. 8. Opp. rhetor. *Schütz.* Lps. 1804. 8. III voll. in VI pp. Rhet. ad Her. et de inv. *P. Burmann* II. L. B. 1761. 8. de orat. c. n. Pearc. *G. Chr. Harless.* Lps. 1815. 8. * *O. M. Müller.* Züll. 1819. 8. Brut. *Fr. Ellendt.* Regim. 1825. 8. Opp. phil. ex. rec. et c. comm. *Io. Davis.* ed. *Rath.* Hal. 1804-19. VI. 8. (Tom. VI. de N. D. ed. *Schütz.*) *I. A. Goerenz.* Lps. 1809-14. III. (de legg. Ac. de fin. b. et m.) 8. (nond. abs.) * de fin. *I. H. Bremi.* Tom. I. Tur. 1798. 8. * Tusc. rec. *F. A. Wolf.* ed. III. (cur. *Wernsd.*) Lps. 1825. 8. de nat. deor. *L. Fr. Heindorf.* Lps. 1815. 8. *G. H. Moser* et *Fr. Creuzer.* Lps. 1818. 8. * ed. min. 1821. 8. de div. *I. I. Hottinger.* Tur. 1793. 8. de fat. *Bremi.* Lps. 1795. 8. de legg. *Moser* et *Creuz.* Fcf. ad M. 1824. 8. de re publ. pr. ed. *A. Mai.* Rom. 1821. 8. (Stuttg. Hal.) c. epist. Hermann. *F. Steinacker.* Lps. 1823. *Moser.* Fcf. 1826. 8. (* edd. comp. Heidb. 1823. 8. *C. Fr. Heinrich.* Bonn. 1823. 8.) (Münnich, Niebuhr, Zachariae). de offic. *I. G. Graev.* e. n. Amst. 1691. 8. ex rec. *I. M. Heusinger.* c. nott. *I. Fr. H.* ed. *C. H.* Brunsv. 1783. 8. * ed. min. ib. 1820. 8. *A. G. Gernhard.* Lps. 1811. 8. *C. Beier.* Lps. 1820. sq. II. 8. (* ed. comp. *Olshausen.* Slesv. 1824. 8.) Cat. maj. c. Facciolati sch. *Gernhard.* Lps. 1819. 8. Lael. *Gernh.* ib. 1825. 8. Epistt. *Schütz.* Hal. 1810-15. VI. 8. *I. A. Martyni-Laguna.* Tom. I. (ad fam.) Lps. 1804. 4 et 8. (non absol.; * ed. comp. *G. H. Lünemann.* Gott. 1820 ss. IV. 8.) epp. ad fam. *Graev.* Amst. 1677. II. 8. ad Att. *Gr.* ib. 1684. II. 8. * epp. sel. *A. Matthiae.* ed. alt. Lps. 1825. 8. (P. Manut.) German. vert. oratt. sel. *Fr. C. Wolff.* Alton. 1805-9. V. 8. nova coll. 1822. sq. Tom. I. II. de off. *Chr. Garve* ed. nvss. Vratisl. 1818. IV. 8. *I. I. Hottinger* ed. n. cur. *Bremi.* Tur. 1820. II. 8. epp. *Wieland.* Tur. 1808-11. V. 8. Tom. VI. VII. cont. *Graeter* ib. 1818-21. 8. (Cic. eclog. coll. d'Olivet ed. *Hottinger.* e. n. Tur. 1820. 8. Döring; Nizolii lex.; Wopkens, Matthiae, Wernsdorf, al.; Middleton, Facciolati, Meierotto de vit. C.)

2. Historia.

§. 35.

Caesar.

Romani, quum ad summam apud exteros auctoritatem pervenissent, quod et rebus suis ingenue, digne ac decenter describendis operam dederunt, non minus ex animo provectiore cultu nobilitato quam frequente Graecorum lectione et imitatione declaratur. Duplex autem inprimis regnare coepit historiae genus, alterum, quod universam rerum gestarum enarrationem amplecte-

batur, alterum, cui materia circumcidebatur singulis argumentis e temporis brevioris spatio petitis. Hanc viam primus iniit *C. Julius Caesar* 654-710 (100-44), vir ille inclitissimus, qui Gallis, Belgis, Britannis, Germanorum parte Pompejoque victis altissimum auctoritatis et honoris gradum consecutus, unicum illud animo agitabat, quo rem publicam everteret, immenso animi robore ductus ad fastum usque exsultantis; summus idem dux et orator, in rebus publicis versatissimus (Cic. Br. 75.). Caesaris scripta, quae supersunt integra (nam interierunt quaedam, ut Anticatones Cic. Top. 25., de analogia, Epistolae) *de bello gallico* commentariorum ll. VII dico (octavum Hirtii cujusdam est) et *de bello civili* ll. III, animum testantur altum ingeniumque excellens in scribendo perinde atque agendo stupenda candoris ejusque facilitatis arte praeditum, quae vel negligentia videtur. Ideoque mira demonstrationis et verborum evidentia; sermo nudus, purus et castus, Ciceroniano haud multum inferior (Cic. l. c.). At offendit tamen haud raro recti honestique sensum mens frigidior minusque erecta ad illam magnanimitatem, quae consistit in communitate et incorrupta fide (cf. Asin. Poll. ap. Suet. Caes. 56.). Ad artem veterum militarem percipiendam magnum hi libri momentum habent. Subditi sunt libri *de bello Alexandrino, Africano*, et *Hispaniensi* (Oppius, Hirtius. Ephemerides num diversi a Commentariis?)

Ed. pr. Rom. 1469. f. *Io. Davis.* Cant. 1706. 4. Lond. 1727. 4. *Frc. Oudendorp.* L. B. 1737. 4. Stuttg. 1821. II. 8. *Morus* et *Oberlin* e. n. Lps. 1819. 8. (* edd. comp. *Daehne*, *Kreyssig*. Lps. 1825. 12. 1826. 8.) * de b. gall. c. nott. germ. *C. G. Herzog* Lps. 1824. 8. * *I. Chr. Held.* Solisb. 1825. 8. * *A. Moebius*. Hannov. 1826. 8. * de b. civ. *Held.* Solisb. 1822. 8. (Petrarca de Caes. ed. *C. E. Cph. Schneider*. Lps. 1827. 8. cf. *Eund.* in Wachl. Philomathie Vol. I.)

§. 36.

Sallustius.

A Caesaris copiosa elegantia longe distant *C. Crispi Sallustii* breves et concisae sententiae ac Thucydidea granditas. Is natus est Amiterni, Sabinorum oppido a. 668 (86). Quaesturam primum et Tribuniciam potestatem adeptus, postea, ut perhibebant, vitae dissolutae causa, verius ob Caesaris amicitiam senatu motus ab

Appio Claudio Pulchro Censore 704 (50 a. C. Dio Cass. XL, 63.), a Caesare restitutus est 705 (49; D. C. XLII, 52. cll. Sueton. de ill. gr. 7. Cic. in Sall. 6.). Rebus in bello Africano cum laude Caesaris gestis (Hirt. 8. 34.), Zamae Proconsul relictus est ad expilandam Numidiam (Hirt. 97. Dio C. XLIII, 9. Suet. Caes. 54.). Post mortem Caesaris totum litteris se tradidit et conscripsit libros V *historiarum* rei publicae Romanae a Sulla usque ad Catilinam, in quibus omnium splendidissime comprobavit ingenium suum, deperditos heu praeter fragmenta satis multa, tum *Catilinam* et *Jugurtham*, quos libros nemo sine voluptate quadam legit. In his quidem eum Sallustius se praestitit, quem non dubitemus componere cum optimis quibusque Romanae historiae auctoribus. Tanta ejus est vis, perspicuitas, judicii sanitas et integritas, in morum notatione subtilitas, scitae rerum dispositionis cura, ut Thucydidem non sine bono successu imitatum esse videamus. (Cf. Quint. X, 1, 32. 101. 3, 8. Senec. Controv. V, 22. Vell. II, 36. Martial. XIV, 191.). In varias autem noster incurrit reprehensiones tum veterum quorundam tum recentiorum. Ac primum vitam improbarunt intemperantem, luxuriosam, effrenatam, adolescentis praesertim; a quo naevo si penitus liberari non potest, fatendum tamen, culpae aliquantum tempori esse tribuendum, quo vixit. Tum notatur „nimia verborum priscorum affectatio" (Asin. Pollio ap. Suet. de ill. gramm. 10. 15.), et velocitas quaedam nimia in scribendo (Gell. III, 1.), quae si est, ex sententiarum copia et ubertate oritur. Nomen Sallustii ferunt etiam *duae orationes* ad Caesarem de re publica ordinanda, *declamatio in Catilinam* et *in Ciceronem*, alia, quae ab ipso vix ac ne vix quidem sunt profecta (Porcius Latro).

Ed. pr. Ven. 1470. 4. *I. Gruter.* Fcf. 1607. 8. *Gtl. Corte* Lps. 1724. 4. *S. Havercamp.* Amst. 1742. II. 4. * *O. Maur. Müller.* Züllich. 1821. 8. *Fr. D. Gerlach.* Tom. I. II. Basil. 1823. ss. 4. (nond. abs.) c. nott. Cort. *C. H. Frotscher.* Tom. I. Lps. 1825. 8. (* edd. comp. *Gerlach.* Bas. 1823. 8. *Lünemann.* Hann. 1824. 8.) Germ. v. *Strombeck.* Gott. 1817. 8. *Neuffer.* Lps. 1819. 8. (de Brosses, Müller, Loebell).

§. 37.

Cornelius Nepos.

Quum de *T. Pomponii Attici,* Ciceronis amici, cujus vitam venuste descripsit Cornelius Nepos, *Annalium* libris nil supersit (cf. Cic. Br. 3 sq. Or. 34. epp. ad Att. XII, 23.), statim transimus ad ipsum illum *Cornelium Nepotem,* de cujus vita vix certius quidquam expediri potest, quam natum fuisse in agro Veronensi, in Ciceronis, Attici, Catulli amicitiam incidisse (Cic. Att. XVI, 5. Gell. XV, 18. Catull. 1.), et vitam posuisse a. 724 (30 a. C.). Majora ejus opera, *Chronicorum* ll. III, *Exemplorum* ll. V prorsus fere intercepit temporum iniquitas; *Vitae Excellentium Virorum* (XXIV), quae ipsi vindicantur, cum commentariolo *de Regibus,* excerptae sunt e libris de *viris illustribus* (XVI, cf. Gell. XI, 8.) et *de historicis Latinis,* num ab ipso aut Aemilio Probo (380 p. C.) aut alio incertum. Sequitur autem Nepos ubique fere Graecos auctores, sed non adhibito judicio sano, quare frequens incurrit in errores historicos; genus scribendi simplex, candidum, non infuscatum, oratio integra et munda. Palmaria est Attici vita.

Ed. pr. Ven. 1471. f. *Dion. Lambin.* Par. 1568. 4. *Aug. van Staveren.* Lugd. B. 1734. 4. (auct. cur. *Bardili.* Stuttg. 1820. II. 8.) c. nott. Bosii *Fischer.* ed. nvss. (cur. *G. C. Harless.*) Lps. 1806. 8. *C. H. Tzschucke.* Gott. 1804. II. 8. **Bremi* e. nvss. Turic. 1820. 8. * *G. Fr. Günther.* Hal. 1820. 8. (*edd. comp. *Bellerm.* Erf. 1820. *Bardili.* Tub. 1824. *I. C. Daehne.* Lps. 1827. 12. Hannov. Monast. 1824. stereot. Brunsv. 1822. cet.; I. H. Schlegel, Mosche, Rinck).

§. 38.

Livius.

Historiam Romanorum generaliorem ab urbe condita usque ad bellum Germanicum mortemque Drusi a. 744 (10 a. C.) ll. CXLII primus contexuit *T. Livius* Patavinus 695-771 (59 a. C.-19 p. C.), qui in maxima vivebat Augusti favore (Tac. Ann. IV, 34.) et XXI annos in opus illud conscribendum consumsisse dicitur. Mortuus est in urbe patria. Sed vix de arte Livii historica satis juste et plene judicare licet, quum tam multa edax aboleverit vetustas, ut nonnisi XXXV libros

habeamus integros, X priores et XXI-XLV., cum fragmento l. XCI. Id quod superest, de optima nota auctorem commendat; nam nisi decade prima, certe ultima historiae parte, qua ut proxime accedit ad suam ipsius aetatem, ita altissime assurgit animi fervor, indoles declaratur ad omnia jucunda et sub sensus mitiores cadentia perquam proclivis et in crebro sparsis suavitatis coloribus et „lactea ubertate" plane singularis cum eximia in concionibus, descriptione morum, expingendis regionibus eloquentia. Ab his tot tantisque virtutibus detrahitur tamen nonnihil fide minus casta, ubi auctores exemplo sunt parum idonei, id quod maxime fit in enarratione rerum antiquiorum, porro compositione non illa Caesaris, Nepotis vel Ciceronis facilitate conspicua, sed „quasi compedibus vincta, brevitatis gravitatisque consectatione subinde ambigua, trajectionibusque impedita, quae fortasse causa fuerit, ut Patavinitatem Livio objecerit Asinius Pollio" (Wyttenb. Bibl. crit. III, 4. p. 27 ss. Opusc. I, p. 211. ss. cf. Quint. I, 5, 56. VIII, 1, 3. X, 1, 101. II, 5, 19.). Librorum omnium epitome superest, quam a Floro factam perperam est creditum. (Egregia *Freinshemii* supplementa.)

Ed. pr. l. X. XXI-XL. Rom. Sueinh. et P. 1469. f. c. cet. Basil. 1531. f. *I. Fr. Gronov.* ed. nvss. cur. *Iac. Gr.* L. B. 1679. III. 8. *Arn. Drakenborch.* L. B. 1738-46. VII. 8. (auct. rep. Stuttg. 1820. ss. XIV. tom. 8. nond. abs.) *Aug. Guil. Ernesti* ed. IV. cur. *I. Thph. Kreyssig* c. gloss. *G. H. Schaefer.* Lps. 1823. ss. V. 8. * *Fr. A. Stroth* et *Doering.* Tom. I. ed. III. Goth. 1816. t. II. ed. n. 1822. II. IV-VI. 1805. ss. (* ed. comp. *L. Tafel.* Stuttg. 1824. III. 8. *Baumgarten-Crusius.* Lps. 1825. III. 8.) lib. XXXIII. *Fr. Goeller.* Fcf. ad M. 1821. 8. l. XCI. fgm. c. Cic. et Sen. fr. *B. G. Niebuhr.* Rom. 1820. 8. Opp. germ. v. *C. Heusinger.* Brunsv. 1821. sq. V. 8. (Macchiavelli, Walch; Kayser, Bauer).

§. 39.

Alia scripta historica.

Interitum non fugerunt *Messalae* (Suet. Aug. 74.), *Asinii Pollionis* (Hor. Od. II, 1. Suet. Caes. 30. Tac. Ann. IV, 34.) et aliorum opera historica; sed asservantur *Fasti Capitolini* tabulis marmoreis incisi (a. 120-767) et *Fasti anni Romani* a *M. Verrio Flacco* ordinati s. *Praenestini*, qui sicut *Monumentum Ancyranum*

a. 1553 repertum ac rerum ab Augusti gestarum indicem continens ad temporum rectam notationem multum faciunt. Eodem tempore floruit *Trogus Pompejus*, natione Gallus, sed qui Romae vixit. Is *historiae Philippicae* ll. LVIII concinnavit, ad modum Theopompi varias variorum res ita innectens, ut potius universa sit appellanda. Sumsit autem quasi calamum a Thucydide depositum, quum ingrederetur, ubi ille finem fecerat (Diodor. XVI, 3, 71.). Operis illius amissi jactura minime resarcitur exili epitome, quam *Justinus* conflavit (§. 67.)

Fast. anni Rom. a Verrio ord. rell. cur. *P. F. Fogginii.* Rom. 1779. fol. Sueton. ed. *Wolf.* Vol. IV. — *Mon. Anc.* in *Edm. Chishull* Antiqu. Asiat. Lond. 1729. f. Suet. *Wolf.* Vol. II.

3. Grammatici.

§. 40.

Grammatici veteribus saepe nominantur *Litterati* et *Philologi* (Suet. de ill. gramm. 4.). Litterati autem, interdum et Litteratores, ii dicebantur, qui multa Graecorum postea Romanorum quoque scriptorum lectione variam sibi collegerant eruditionem, Grammatici vero, quorum erat „poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronunciandi quidam sonus" (Cic. de Or. I, 42.). A quibus posterius demum, ut videtur, distinguebantur Philologi, ut qui rerum non verborum explicationi studerent (cf. Senec. Epp. I, 108. fin.). Primus *Atteius* Atheniensis Philologi nomen sibi impertiit (Suet. l. c. 10.). Majore tamen gaudebant fama *M. Antonius Gnipho* Gallus, quem Cicero Praetor audivit et *Valerius Cato*, maxima *M. Terentius Varro* nat. 638. (117) fato perfunctus prope nonagenarius 727 (27 a. C.). Primum is bellicam gloriam adeptus classibus contra praedones Graeciae maritimos dux praefuit; in Hispania factus est Legatus Pompejo (Caes. b. civ. I, 38. II, 17.). Postea autem in privatam vitam quum se recepisset, a Caesare bibliothecae ordinandae cura ipsi est demandata (Suet. Caes. 44.). Quo interfecto, ab Antonio proscriptus omnibusque bonis exutus (Cic. ad fam. IX, 13. Philipp. sec. XIV, 41.) non prius Romam rediit, quam Octavianus imperio est potitus ipsique concessit, ut reliquam vitam tutus in otio consumeret. Di-

citur vero πολυγραφώτατος (Cic. ad fam. XIII, 18. 19.); nam prope quingentos libros scripsisse fertur (Gell. III, 10.), inter quos *Antiquitates rerum humanarum ac divinarum*, *de populi Romani vita ad Atticum* et alios, quorum paucissima supersunt. De Varrone nobilissimum exstat Ciceronis judicium (Acad. I, 3. cll. Brut. 56. 91. Plin. Epp. VII, 30. 31.). Recte tamen Quintilianus scientiae eum plus quam eloquentiae collaturum (X, 1, 95.) censet. Habemus ex opere majore (ll. XXIV) *de Lingua Latina* libros III integros, *ad Ciceronem de originibus linguae Lat.*, qui fuerunt quartus, quintus, sextus, cum maxima septimi, octavi, noniparte; tum *de Re Rustica* ll. III. — E *M. Verrii Flacci*, grammatici praeclari et praeceptoris C. et L. Caesarum (m. 14 p. C.) libro *de significatione verborum* epitome facta est a *Sexto Pompejo Festo* (v. §. 74.). (*P. Nigidius Figulus*; *C. Jul. Hyginus*, bibliothecae Palatinae praefectus; *Hermogenes Tigellius*).

Varr. opp. *Ios. Scaliger.* ed. n. Par. 1581. 8. c. nott. var. Amst. 1623. 8. de l. l. in *D. Gothofredi* Auctt. l. l. Genev. 1602. 1622. 4. Bip. 1788. II. 8. *Le. Spengel.* Berol. 1826. 8. de re rust. in *Gesn.* et *Schneid.* Scr. r. r. — *Hyg.* CCLXXVII fabul. et Poëticon Astronomicon in *Th. Muncker.* Mythogr. lat. Amst. 1681. 8. ed. *A. van Staveren.* Lugd. et Amst. 1742. 4.

4. Scientiae mathematicae et physicae.

§. 41.

In severioribus rei *mathematicae* et *astrologicae* disciplinis Romani parum praestiterunt, quum ipsis deesset alacris animi ad haec studia conversio. Id, quod in lucem emiserunt, nec ad disciplinae modum est castigatum nec suo ipsorum ingenio debitum. Scimus quidem, Caesarem temporum rationem emendari curasse (Suet. 40.), sed per Sosigenem Alexandrinum. Unus in aedificandi arte excellit *M. Vitruvius Pollio* Veronensis, Julii Caesaris architectus, cujus *de architectura* ll. X egregium continent scientiae thesaurum, inculto quamvis scribendi genere. Sed figurae, quas addiderat Vitruvius, proh dolor perditum ierunt. — *Medendi* ars primum a servis sive medicis barbaris factitabatur, prius tamen a vulnerariis quam ab iis, qui morbos intestinos proprie curarent. Per Lucullum et Pompejum medici,

Graeci eruditiores Romam perlati (*Asclepiades*), quibus a Caesare civitate donatis crevit sensim auctoritas. Augusto primarius erat *Antonius Musa.* Sed fama hunc superavit *A. Cornelius Celsus*, qui floruit sub finem hujus aetatis. Hic quamquam artem medicam non quaestus causa coluit sed oblectationem in ea inventurus (composuit etiam libros *de agricultura*, *de rhetorica*, alios copioso *Artium* opere comprehensos), magni tamen momenti sunt *de re medica* libri (VIII), quos concinnavit ex Hippocratis et Asclepiadis operibus, oratione dilucida et comta.

Vitr. ed. *A. Rode.* Berol. 1800. II. 4. *I. G. Schneider.* Lps. 1807. IV. 8. (Genelli, Stieglitz). — *Ant. M.* fgm. *Flor. Caldani.* Bassan. 1800. 8. — *Cels.* ed. *van der Linden.* e. n. L. B. 1665. 12. ex rec. *L. Targae* c. *G. Matthiae* Lex. Cels. (ed. *Ruhnk.*) L. B. 1785. 4. (Bianconi, Schilling).

Aetas tertia.

Ab Augusti morte usque ad Antoninos 14 — 138 p. Chr.

§. 42.

De litterarum hujus aetatis natura.

Humanitatis studiorum amor, et Romae in provinciis auctus ac propagatus, litteris dignitatem quidem et amplitudinem tueri videbatur; nam et Romae inter omnes ordines nactae sunt patronos atque cultores, et extra urbem ita auctoritate succreverunt, ut post Hadrianum plus fere in provinciis suppeteret doctrina quam in ipsa terrarum imperatrice. Ut tamen litterarum non ea maneret interior ac recondita virtus, qua gaudebant superioribus annis, factum est tum degenerata civitatis forma tum nascente eruditione. Augusto enim mortuo vel ultima rei publicae libertas exstinguebatur; omnia ad imperatorum superbe, crudeliter ac suspiciose dominantium libidinem se applicabant; voluntas in priscos mores propensa nulla erat. Nec vel illa Vespasiani, Titi et Hadriani tempora, quibus populus nimium jam obtusus aliquantulum videbatur reviviscere, ingenium Romanum suffocatum injuria tyrannorum ab inferis repetere potuerunt. Ita etiam cum contumacia illa nobili a magnitudine animi Romani ducta evanuit generosus et ingenuus litterarum cultus, qui ingenium praefert eruditioni; obsoluitque sermo sincerus et solidus, abhorrens ab ista ornatus captatione, quae orationem facit delicatam, collocatam et diffusam, sed inflatam, dissipatam, fluctuantem. Quum porro recessus a rebus politicis otium exaggeraret civium Caesaris unius arbitrio res suas gerentium, haec ipsa a negotiis vacuitas eos impulit, ut rem litterariam studiosius curarent. Procreata igitur eruditio et sustenta multiplicatis librariorum tabernis; nec eruditorum

numerus potuit non augeri, ubi mercedem dare rhetoribus instituit Vespasiani liberalitas, perrexit successorum imitatio. — In tali autem disciplinarum artiumque detrimento tres fere sunt, qui eminentem consocient animum cum ingenio illustri, Tacitus, Plinius, Quintilianus.

I. Poesis.

§. 43.

Non defuerunt quidem hoc tempore, qui carmina pangerent de Musarum sincero cultu solliciti, nec omnis in imitatione constitit poetarum opera, quorum singuli eximium inter aequales obtinent locum; sed effluxerat tamen florens artis poeticae apud Romanos aetas, qua videlicet ingenium ob largam imaginum et cogitatorum vim deterreri se passum erat ab elocutionis et sermonis luxurie. Jam enim deflexum est ad rhetorum et declamatorum artes, quibus ingenii exilitas tegeretur non tecta eruditionis et doctrinae venditatione quadam et ostentatione. Vel ipsa versus compingendi cupiditas justae nocuit facultati quippe a permultis arrepta, quibus spiritus divini ne scintillula quidem inesset. In *poesi heroica* magni quidam sunt nominis, majoris qui fuissent, ab illo oratorio apparatu si magis abstinuissent; *Satirae* obtigerunt triumviri excellentissimi, cum Sulpicia, muliere ingeniosa; in *epigrammate* Martialis unus omnium praestat.

1. Carmen epicum.

§. 44.

Lucanus.

Poetae hujus aetatis heroici in eo non solum Virgilii pedibus adhaeserunt, quod historiam patriae sollemni carminis et mensurae veste induebant, sed totos se accommodarunt ad Virgilianum componendi genus, quantum per virium naturam liceret. Idque optime omnium fecit *M. Annaeus Lucanus* Cordubensis Hispanus, nat. 38 p. Chr., Senecae Philosophi fratris filius. Hic octavum nondum annum egressus Romam venit, rhetoricae et Stoicorum philosophiae operam daturus; mox autem

elegantiorum artium illecebris invitatus ad poeticam penitus se convertit. Nec per eam prius videbatur malignam perpessurus sortem, quam concertatione cum Nerone instituta, cujus tam infelix esset eventus, ut, quum gratiam principis amissam ulturus dicteriis et canticis probrosis illum affecisset cumque Pisone in communitatem conjurationis intrasset (Tac. Ann. XV, 56. sq.), capitis damnatus apertis venis vitam ponere cogeretur anno aetatis septimo et vigesimo (65). Superest ejus *Pharsalia* (sc. ποίησις) s. carmen de bello civili inter Caesarem et Pompejum gesto, de pugna Pharsalica inprimis, in laudem Pompeji, e ll. X constans morteque auctoris interruptum, partim emendatum ab uxore Polla Argentaria, quae postea Statio fuit nupta. Quanti quidem ipse suum habuerit ingenium, patet e l. IX. vss. 983. ss. Nobis autem in quibusdam peccasse videtur idque in eo potissimum, quod materiem eligeret carmini admodum iniquam, qua nec imaginationi satis justus esset locus nec historiae dignitas et veritas probe sustineretur. Quare non mirum, quod primus verborum flosculis obruit orationem ceteroquin puram, ut non immerito diceretur magis oratoribus quam poetis annumerandus (Quint. X, 1, 90.). Est tamen ingenio alacri, in moribus designandis non minus praestans quam sententiis fructuosissimis et orationibus concitatis. (Cf. dial. de causs. c. el. 20. Martial. VII, 20. ss.). Perperam ipsi tribuitur *carmen ad Pisones.*

Ed. pr. Rom. 1469. f. *Gottl. Cortii* ed. min. Lps. 1726. 8. c. schol. *Frc. Oudendorp.* L. B. 1728. 4. c. Heins. nott. *P. Burmann.* L. B. 1740. 4. c. n. Grot. et Bentl. *C. Fr. Weber.* Lps. 1820. sq. II. 8. (Martyni - Laguna; cf. Nachtr. z. S. VII, 2.) — Carm. ad Pis. in Wernsd. Poet. min. IV, 1. cf. V, 3.

§. 45.

Silius Italicus.

Idem illud in vitium, quo Lucanus nervos ingenii fregerat, quum argumentum carminis mutuasset ex historia, incurrit etiam *C. Silius Italicus*, quem ex Italica, Hispaniae urbe, alii dicunt oriundum, alii e Corfinio, olim Italica dicto (25 - 100.). Sub Vespasiano bis functus consulari dignitate, provectior annis in Campaniam se recepit, ubi insanabili oculorum morbo correptus,

voluntaria fame vivendi libertatem sibi praecidit (Plin. Epp. XIII, 7.). Ciceronem in eloquentia, Virgilium in arte canendi ducem veneratus, ipse tandem ad *Punicorum* ll. XVII accessit, exoriens a Sagunti obsidione, desivitque Scipionis triumphum celebrando. In ipsis factis diligenter expositis Livium auctorem sequitur, non praetermissis excursibus interdum nitidioribus (v. IX, 66. ss. XV, 20 ss.). Jam autem animadvertitur illud ostentandae doctrinae studium, quo scribendi rationi major concilietur gravitas. Idem in compluribus rebus, proeliis praecipue, describendis licet clarissimus, oratione tamen utitur nec aequabiliter profluente nec intenta.

Ed. pr. c. Hesiod. et Calp. Rom. 1471. f. ib. 4. *Arn. Drakenborch.* Traj. Rh. 1717. 4. *I. Ch. Gli. Ernesti* Lps. 1791. II. 8. *G. Al. Ruperti.* Gott. 1795. 98. II. 8. Cf. Nachtr. z. S. VII. 2.

§. 46.

Valerius Flaccus.

Jam non artis sed reconditae eruditionis proferendae causa argumenta petebantur e remotioribus antiquitatis fabulosae cellulis a Valerio Flacco et Statio. *C. Valerius Flaccus* (*Balbus Setinus*) lucem primam videtur Patavii vidisse (Martial. I, 77. cll. 62.) et floruisse sub Vespasiano et Tito (cf. Quint. X, 1, 90.). Cecinit *Argonautica* ll. VIII, in quibus inter ipsum et Apollonium Rhodium nonnulla discrepant. Finem operis aut auctoris mors aut fati iniquitas subtraxit. Flaccus autem est inter doctissimos Romanorum poetas; abstinet idem praeter ceteros aequales ab oratoria pompa; carmen bene dispositum eleganter pertexuit; at sermo paulo artificiosius constructus ideoque contortus.

Edd. pr. Flor. s. a. 4. Bonon. 1474. f. *Nic. Heins.* s. n. Amst. 1680. 12. c. n. Heins. al. *P. Burmannus* I. L. B. 1724. 4. *G. Chr. Harless* Altb. 1781. 8. (* *I. A. Wagner.* Gott. 1805. 8. comm. ib. eod. Lat. et gall. *Dureau de la Malle* Par. 1811. III. 8. lib. VIII. *Ion. A. Weichert* Misen. 1818. 8. (Weichert ep.; Nachtr. z. S. VIII, 5.)

§. 47.

Statius.

Cum his, quos modo laudavimus, si *Statium* comparaveris, multo tibi inferior omnibus erit et indole et

arte. Patriam *P. Papinius Statius* (61-96) coluit Neapolim; Romae autem multum valuit apud Domitianum (Juv. VII, 87.). Primus is fuisse videtur, qui afferret carmina oblata occasione facta, colligata in *Silvarum* ll. V, quibus varias res concelebrat, equum Domitiani, villas quasdam, leonem, alia. (Laudantur I, 2. II, 4. V, 4. cet.). Sed heroici generis sunt *Thebais* (ll. XII) s. enarratio belli inter Eteoclem et Polynicem gesti, et *Achilleis*, cujus tantum II libri exstant, qui exponunt Thetidis maternam curam, ne Trojam conspiceret Achilles, quomodo inanis reddita sit ab Ulysse et Diomede. Quibus libris etsi non vulgaris declaratur mentis cultura, cum singulari imaginum delectu, deest tamen subtilis venusti sensus et vera elegantia. Ita sublimitatis studium abiit in jejunum tumorem et vanum delectationis aucupium, ut pro calore sentias frigorem taediumque obrepens.

Ed. pr. Silv. c. Cat. Tib. Pr. Ven. 1472. f. Theb. c. comm. Plac. Lactant. Med. 1478. f. Opp. Ven. 1483. f. *I. Fr. Gronov.* Amst. 1653. 12. (diatrib. iter. ed. *Ferd. Hand.* Lps. 1812. II. 8.) c. *Csp. Barth.* Cygn. 1664. III. 4. *Hand.* T. I. (Silv.) Lps. 1817. 8. Silv. *Markland.* Cantbr. 1728. 4. (Menke; Dodwell Annal. St.; Nachtr. z. S. VIII.)

2. Satira.

§. 48.

Persius.

Antiquae Romanorum virtutis ruina, e crescente luxurie et intemperantia vehementius erumpens, civitatis universam conditionem valde depravaverat, omni nocendi libertate tyrannidi concessa; quin his ipsis corruptissimis temporibus singuli audirentur fortiter et acerbe querentes, qui a civium nequitia intactos se servaverant, impedire non potuit. Ejusmodi sensibus voce acuta in publicum editis originem debuit *satira* illa, quae circumferebatur sub finem primi et initium secundi p. Chr. saeculi, *tragicam* dixeris, ut recte distinguatur ab Horatiana. Est ea quidem acriter castigans, hilaritate raro mixta, duris verbis hominum insaniam denudans; in qua princeps cernitur Juvenalis. Prior antecedit *A. Persius Flaccus* (34-62.), eques

Romanus gente Etruscus Volaterris natus. Hic Stoicae philosophiae praeceptis imbutus (erat autem maxime Annaeo Cornuto amicus, cui postea bona sua legavit), nefanda quaeque non solum, sed etiam recentiorum philosophorum ineptias amaro perstrinxit sale, id quod intelligitur ex *Satiris* VI reliquis; alias Cornutus delevisse traditur. Persius obscuri quidem poetae nomen est nactus ob nimiam brevitatem, inurbani ob acres quasdam declamationes Stoicas; nihilominus eminet probitate, animi fortitudine, sapientia, optimumque se praebet vitae et indolis humanae judicem. (Quaedam a Cornuto emendata.)

Ed. pr. Rom. s. a. (c. 1470.) c. Iuv. et schol. *P. Pithoeus*. Par. 1585. 8. (Heid. 1590.) *Is. Casaubon*. Par. 1605. 8. (Lond. 1647. 8.) *c. c. *G. Koenig*. Gott. 1804. II. 8. **J. Csp. Orell*. in Eclog. Poetar. Lat. Tur. 1822. 8. lat. et germ. *Frc. Passow*. Tom. I. Lps. 1809. 8. (*edd. comp. *Reiz*. Lps. 1789. *Pass*. ib. 1809. 8. *E. G. Weber* ib. 1825. 12.; Meister; Nachtr. z. S. VI.)

§. 49.

Juvenalis. Sulpicia.

De vita *D. Junii Juvenalis* Aquinatis non multum constat (cf. Sueton. vit. J.). Patrem habuit libertinum, a quo in rhetorum scholas est missus. Ingenium primo probavit in causis agendis; postea summo studio accessit ad satiras scribendas. Quum vero Paridem quendam pantomimum illustrem offendisset (VII. 90-92.), grandaevus jam in remotissimam Aegypti partem est missus, ut ibi cohorti praeesset. Floruit temporibus Domitiani (v. Martial. XII, 18.). *Satirae* ejus (XVI) non eo ordine servantur, quo ipse scripsit; dubitatur etiam de αὐθεντίᾳ decimae sextae. Ex iis autem, quae sunt germanae, conspicitur animus virilis, excelsus, ardens, ingenium perspicax, indoles veri et justi studiosissima; veruntamen acerbitas quaedam vehemens et durities in insectando, cum ea inverecundia, quae interdum omnes omnino decoris cancellos transeat. Quantum igitur a Horatio, tantum a Persio distat. (Sexta satirar. regina.) — Infimum locum obtinet *Sulpiciae* satira *de corrupto reipublicae statu*, ob exactos Roma philosophos Domitiani aetate confecta. (De *Turno* v. Martial. XI, 10.)

Iuv. ed. pr. s. l. et a. *Pithoeus* c. Pers.; c. nott. var. *Henninius*. Ultraj. 1685. 4. *G. A. Ruperti* e. n. Lps. 1819. sq. II. 8. *E. G. Weber*. Vimar. 1825. 8. Germ. v. *Otto com. de Haugwitz*. Lps. 1818. 8. (Heinecke, Heinrich, Manso, Iacobs; Francke de vit., Nachtr. z. S. VI. Schol. vet. ed. *A. G. Cramer*. Hamb. 1823. 8.) — *Sulp.* et *Turn.* Burm. Wernsdf. III. Sulp. in pl. Iuv. et P. edd.

3. Epigramma.

§. 50.

Ab illarum cantiuncularum, quas *epigrammata* Graeci vocabant, ratione et instituto ita Romani sensim deflexerunt, ut non tantum affectus molliores cuperent excitare, sed etiam jocum et ludibrium movendi causa proferrent sententias et narratiunculas tales, quibus quis aut lepide irrideretur aut acerbius perstringeretur. His igitur exercebatur acumen ingenii nova eaque acuta comparatione facetiisque voluptatem legentibus paraturi. Illius autem antiquioris generis multa sunt *Catulli, Lutatii Catuli, Licinii Calvi* aliorumque; in posteriore nemo superavit *M. Valerium Martialem*, Bilbili, Hispania oppido (Calatayud) natum a. 40. p. Chr. (cf. I, 50, 62. X, 103. XII, 18. etc.). Romam venit, quum annum ageret alterum et vicesimum; mortuus autem est in patria c. 101. (Plin. epp. III, 21.) Domitii favorem aliquamdiu tenebat. *Epigrammatum* idem feracissimus scriptor (sunt ll. XIV s. XII Epigr. cum *Xeniorum* et *Apophoretorum* ll. II, accedit libellus *de spectaculis*); in lepore inveniendo singularis, mordax nequitiarum exagitator, morumque temporis sui accuratus descriptor. Quod inter tam multa ejus epigrammata non pauca sunt lascivia et obscoenitate spurcata, quaedam vel indulgentissimo vix gustanda, tempori magis quam poetae vitio datur.

P. Burmanni Antholog. lat. epigr. Amst. 1774. II. 4. — *Mart.* ed. pr. Vindelin. de Spira (Ven. c. 1470.) *Matth. Rader*. e. n. Mogunt. 1627. f. *Petr. Scriver*. Lugd. 1619. (Amst. 1650.) 12. (* ed. comp. Lps. Tchn. 1823. 12.) Lat. et germ. c. converss. var. *C. G. Ramler*. Lps. 1787-93. VI. 8. germ. *Willmann*. Col. 1825. 8.

4. Fabula Aesopica.

§. 51.

Aesopi fabulam Romanis parum fuisse cognitam parumve comprobatam inde videtur apparere, quod Seneca (Cons. ad Pol. 27) fabulam Aesopicam „intentatum Romanis ingeniis opus" dicit, quodque Phaedri, quem nostri laude non exigua condecorant, ne una quidem apud veteres est notitia, Fl. Avianum si exceperis, qui illius meminit in prologo. Nec vero, *T.* ille *Phaedrus*, Thrax, etiamsi fuerit manumissus ab Augusto vel Tiberio, prius videtur *fabularum Aesopicarum* ll. V edidisse quam imperante Caligula (cf. prolog. l. III. ad Eutychum, Caligulae libertum). Fabellas autem tum graecas Aesopi latinas reddidit tum ipse de suo addidit; scriptor facilis, candidus, facetus. (Spur. fab. Neapoli det.)

Ed. pr. *P. Pithoei.* Augustod. 1596. 12. emend. *N. Rigaltius.* e. n. Par. 1617. 4. *Bentley* c. Terent.; c. nov. comm. *P. Burmann.* L. B. 1727. 4. *I. G. Schwabe* ed. n. Brunsv. 1806. II. 8. *in us. sch. *Tzschucke.* Lps. 1790, 12. (*L. Ramshorn*) Lps. 1826. 8. (*edd. comp. c. Avian. Syr. Dion. Cat. *Lünemann.* Gott. 1824. 8. Lps. 1821. 8. Hannov. 1824. 8. al.) fab. XXXII in cod. *N. Perotti* det. pr. ed. *I. A. Cassitti.* Neap. 1808. 1811. f. (*Eichstaedt*) Ien. 1812. f. **Fr. H. Bothe.* Heid. 1822. 12. (Christ; Iacobs Nachtr. VI.)

5. Drama.

§. 52.

Jam dudum praeterierat tempus, quo veram ingeniis cultioribus delectationem praebuerant ludi scenici secundum artis rationem compositi. Non aliud quidquam pariter populi sensus titillabat ac mimorum et pantomimorum scurriles lusus, in quibus e gestuum ornatu omnia pendebant. Ex quo ipse Nero pantomimorum in scena agebat, alia omnia cedere cogebantur. Qui fabulas scribebant, ambiguum plebis plausum non captabant agendo, nec vero ipsi praestabant, quod valde laudandum esset. Probatur hoc X *tragoediis*, quas *L. Annaeum Senecam* (§. 60.) partim scripsisse partim collegisse vel recognovisse credibile est (*Herc. f.*, *Thyestes*, *Thebais* s. *Phoenissae*, *Hippolytus* s. *Phaedra*, *Oedipus*, *Troades*, *Medea*, *Agamemnon*, *Hercules Oetaeus*, *Octa-*

Octavia). Pleraeque enim Sophoclis et Euripidis imitatione procreatas se demonstrant exemplorum sublimitatem et simplicem candorem non modo non attingente sed etiam declamatoriis artibus minuente, ut, sagacium sententiarum copiam et doctam in notitiis fabulosis sedulitatem etsi mireris, fervorem et animi affectionem haud persentiscas.

Ed. *Des. Erasm.* e. n. Ven. Ald. 1517. 8. *P. Scriver.* L. B. 1651. II. 8. *I. Fr. Gronov.* ed. III. cur. *Iac. Gr.* Amst. 1682. 8. *Torkill. Baden.* Lps. 1821. II. 8. (nond. abs.; Klotzsch; Iacobs in Nachtr. z. S. IV. 2.)

II. Oratio pedestris.

1. Historia et Geographia.

§. 53.

Vellejus Paterculus.

Imperii Romani dominatus justae quidem et liberae rerum expositioni non favit, nec caute singulis nimium ignaviae vel desidiae crimen intuleris, ubi summa gentis in deterius est mutata. At fuerunt tamen plurimi mente sana et proba, voluntate optima, quidam eo fortiores et virtute insigniores, quo ipsi labentibus civitatis munimentis non fracti robustiorem sibi custodiebant animum. Elocutio aliis turgescens, vaga, fusa, aliis contorta, dura, incitata; a verborum artificio nemo fere prorsus se continet. Generaliorem orbis terrarum historiam contexuit *C. Vellejus Paterculus*, qui aetate ceteris praecedit, 735-784 (19 a. Chr. — 30 p. Chr.). Patriam coluit Neapolim, sed Romae Augusto et Tiberio valde placuit, quare praetoria dignitate est ornatus. Quum vero a Sejano fecisset, violentam videtur mortem occubuisse. Ex ejus *historia* supersunt libri II, quorum primus lacunis est mutilatus, brevem continens conspectum gentium, quae floruerunt ante urbem conditam; alter pergit usque ad mortem Liviae. Vellejus ingenio est minime contemnendo, scitus in eligendis factis, jucundus in narrandis, nonnumquam altius assurgens patriaeque amantissimus; at principum, Tiberii maxime

et Sejani, turpis assentator, veri rationem non gerens, Sallustiique putidus interdum imitator.

Vell. ed. *I. A. Bürer.* Basil. Fr. 1520. f. *I. Lipsius* e. n. Antv. 1648. f. *Dav. Ruhnken.* L. B. 1779. II. 8. (R. notae recus. Hannov. 1815. 8.) * *A. H. Cludius.* Hann. 1815. 8. (* ed. comp. Marb. 1823. 8.) Germ. *Fr. Iacobs.* Lps. 1793. 8. (Dodwell Ann. Vell.)

§. 54.

Valerius Maximus. Curtius.

Praestantiorum quorundam hujus saeculi auctorum libri interitum non fugerunt, ut *Cremutii Cordi* (Suet. Aug. 35. Calig. 16. Tac. Ann. IV, 34.), *Bassi Aufidii* (Quint. X, 1, 103. Plin. epp. III, 5.), *M. Servilii Rufi Noniani* (Qu. X, 1, 102. Tac. Ann. XIV, 19.). *Valerii* autem *Maximi dictorum factorumque memorabilium* ll. IX referti sunt historiolis, utilibus quidem illis et lectu dignis, sed tenui, angusta et incondita oratione conceptis. — De *Qu. Curtii Rufi* vita tam parum constat, ut ne certo quidem sciamus, quo tempore vixerit. Ex illo autem loco, qui est X, 9. operis, quod scripsit, praestantis, haud temere colligitur, illum sub Vespasiani imperio floruisse. Num vero idem fuerit, quem Tacitus, (Ann. II, 20. sq.) Suetonius, (vit. rhet.) Plinius (Epp. VII, 27.) significant, in dubio est. Aristobulum, Ptolemaeum Lagi, Clitarchum similesque secutus elucubravit *de rebus Alexandri M.* ll. X, quorum duo priores interciderunt. (Supplementa Freinshemii al.). Curtium si quis lecturus est rerum recte cognoscendarum causa, non sine aliqua cautione id suscipiet; nam saepe aut impuris ille utitur fontibus aut insueti et portentosi amore deceptus res novas profert easque incredibiles, veteres et potiores praetermittit; geographiae et chronologiae non satis peritum se ostendit, justoque fusius narrat; attamen plausum eblanditur dicendi genere florido et jucundo Alexandrique imagine splendide expressa.

Val. Max. c. nott. var. *Abr. Torrenius.* L. B. 1726. 4. *I. Th. B. Helfrecht.* Cur. 1799. 8. — *Curt.* ed. pr. Vind. Spir. Ven. (1471?) *Io. Freinshem.* Arg. 1640. II. 8. *Henr. Snakenburg.* L. B. 1724. II. 4. * *Fr. Schmieder* Gott. 1804. II. 8. *C. T. Zumpt.* Berol. 1825. 8. (* ed. comp. *Lünemann* Hann. 1827. 8.) (Perizon., Ste. Croix, Hirt, Buttmann, Pinzger de vit.)

§. 35.

Tacitus.

In numerum eorum, qui plurimum sunt lecti, explicati, translati, laudibus affecti, *C. Cornelium Tacitum* referre nemo dubitabit. Equitem eum Romanum et Consulem a. 97. fuisse scimus; quando natus sit et quamdiu vixerit nescimus; nonnulli tamen ipsum c. 50. lucem primam conspexisse opinantur (cll. Agric. 9. Hist. I, 1.). Docti oratoris et boni causidici nomen adolescens promeruit (Plin. Epp. IX, 23. cf. II, 11.). Vir autem primum facultatis optimae specimen dedit in *vita Agricolae* soceri, quae in suo genere tam est egregia, ut cuicunque alii praeponere non vereamur. Scripta est Nervae tempore c. 97. (Agr. 3.). Secundo Trajani consulatu c. 98 (cap. 37, 3.) successit *Germania* s. *de situ, moribus et populis Germaniae* libellus, qui est antiquioris Germanorum historiae tamquam codex aestimandus, non eo ipso consilio compositus, ut popularibus a virtute deflexis exemplum imitandum proponeretur, sed ut satisfaceret ingenuae animi ad scientiam propensioni, nec tanto studio elaboratus, ut quorundam sententia sit inepta, qui non opus limatum et publico usui destinatum sed e schedis et adversariis nescio quo casu conglutinatum censent. Tertio loco sunt *Historiae* a Neronis usque ad Domitiani mortem, quarum ll. IV asservantur integri et pars Vti, res annorum 69 et 70 complectentes (cf. I, 1. Ann. XI, 11.). Luculentissimum vero animi excellentis documentum edunt *Annales*, quos perscripsit ab Augusti morte usque ad Neronis interitum; supersunt ll. VI priores, (14 - 37; quintus est mutilatus) XI-XV. (42-66), pars XVIti. Taciti ingenium, nisi perspiciatur indolis natura, perspici non potest. Priscae Romanorum virtutis raro ille ac paene singulari amore incensus odio flagravit penitus insito malae dominantium libidinis et turpium plebis sordium, plenus tamen summo commiserationis et caritatis erga patriam oppressam sensu. Quocum ipsi conjuncta erat mens acutissima, actorum causas et eventus probe perscrutata et judicium subactum, constans, severum. Animus autem quum continuo redundaret crebris et gravibus cogitationibus, factum est, ut sermone uteretur supra, quam di-

Horum duumvirorum studio, si accensueris, quod *Tacitus* praestitit Germaniae notitia aperienda, effectum est; ut regiones Europae septentrionalis et occidentalis Romanis fierent notiores.

Mel. c. nott. Voss. et Ic. Gr. *Abr. Gronov.* L. B. 1722. (1782.) 8. ed. *C. H. Tzschucke.* Lps. 1807. sq. VII. 8. * *A. Weichert.* Lps. 1816. 8.

2. Eloquentia et Rhetorica. Epistolae.

§. 58.

M. Seneca. Quintilianus.

Post *eloquentiam* Ciceronis tum exemplo tum institutione ac praeceptis ad splendorem revocatam non defuerunt quidem, qui supra vulgus saperent, Ciceronem nemo attigit. Qui hoc contigerit, quem fugiat? (cf. dial. de caus. corr. el. c. 19. 20.). *Domitii* autem *Afri, Julii Africani, Julii Secundi,* aliorum, quos Quintilianus magnopere laudat (X, 1, 118. ss.), ad nostram memoriam nil pervenit. Eo major erat rhetorum numerus, qui causas fictas auditoribus proponebant agendas vel laudationes, vituperationes, suasiones elaborandas, quales edidit M. Seneca et quae sub Quintiliani nomine feruntur, declamationum auctor. Etenim *M. Annaeus Seneca* Cordubensis c. 29 p. C., philosophi pater, reliquit *Controversiarum* s. causarum judicialium ll. X, (integri sunt l. II. VII. IX. X.; ex omnibus excerpta habemus) quibus insunt argumenta plus quam C rhetorum anguste referta et examinata, et *Suasoriarum* (declamationum) librum. *M.* autem *Fabius Quintilianus*, Calagurri Hispaniae Tarraconensis oppido natus (42) patre rhetore, tum variis egregiisque scriptis inclaruit tum disciplina fructuosissima, doctoris publici munere quum a Vespasiano esset ornatus (68) annuoque salario, quod fuit centena sestertia. Otio post viginti annos publice transactos concesso usus est ad conficiendas praeclaras *Institutiones oratorias* (ll. XII), proprie filii sui commodo inserviturus, ut doceret, quemadmodum illi, qui eloquentia vitam velit decorare, in instituendis vita et studio sit versandum. (Liber X. enumerat auctores ab oratore legendos, maximique est momenti ob judicia libera et justa).

In hoc igitur libro, quo traditur summa rhetorices doctrinae, Quintilianus tam lauta exponit eloquendi praecepta, tam solida, tam ingeniose dicta, ut non mediocrem tulerint laudem juvenibusque de optima commendentur nota. (Cf. Plin. VI, 32.) Quintiliano vulgo *Declamationes* XIX majores et CXLV minores supponuntur, quae ex aliis videntur transscriptae. Illustrissimus vero *Dialogus de caussis corruptae eloquentiae* (74), cujus maxima est judicii sinceri et subtilis observationumque lectissimarum ubertas, utrum Tacito an Quintiliano an tertio cuidam sit inseribendus, decernere equidem non ausim. (*P. Rutilius Lupus* c. 20.)

Sen. v. §. 60. — *Quint.* ed. pr. Inst. Rom. 1470. f. Ven. Ald. 1514. 4. (c. Decl.) c. n. var. *P. Burmann.* L. B. 1720. II. 4. Inst. or. *I. M. Gesner.* Gott. 1738. 4. *G. L. Spalding* (cont. *Ph. Buttmann*) Lps. 1798-1816. IV. 8. (nond. abs.) *in us. sch. *G. A. B. Wolff.* Lps. 1816-20. II. 8. (*ed. comp. Vratisl. 1822. 8. *Lünemann.* Hann. 1825. II. 8.) libr. X. *C. H. Frotscher.* Lps. 1826. 8. (*ed. min. ib. eod.) *in us. sch. *N. G. Eichhoff.* Giss. 1823. 8. Dial. de c. c. el. in compl. Tac. et Quint. edd. *in us. sch. *Seebode* Gott. 1813. 8. (*edd. comp. Hann. 1816. 8. Lünem. Bekk. al.) Inst. libr. X. germ. v. *Fr. Reuscher.* Lps. 1822. 8. (Dodwell Ann. Qu., Spalding proll.; Sarpe, Gensler). — *Rutil. Lup.* de figur. sententiar. et elocution. ll. II. ed. *Dav. Ruhnken.* L. B. 1768. 8.

§. 59.

Plinius Junior.

Rarum illo tempore virtutis, honestatis mentisque sollertiae exemplum praebet *C. Plinius Caecilius Secundus* nat. 62 Novocomi (Epp. IV, 30.), sororis Plinii Majoris filius ab hoc adoptatus, Quintiliani discipulus (Epp. II, 14. VI, 32.), qui jam anno vitae XIX. causidici, non multo post tribuni militum in Syria munus tenuit, deinde Consul et Proconsul Bithyniae est factus. Consulatus ipsi a Trajano delegati causa (100) confecit *Panegyricum Trajano dictum*, in blandiendo quidem haud parcum et colore floreque quasi obrutum, at sententiis succo plenis, dispositione manifesta et oratione polita insignem. Longe pluris autem habendae sunt *Epistolae* (ll. X) ad diversos scriptae, (libro X. ad Trajanum cum epp. Trajani rescriptis) ita ut appareat, publico usui destinatas fuisse. Quas qui legunt, naturalem illam

Ciceronis elegantiam desiderant, neque industriam mirantes temperare sibi possunt, quin nimium conquerantur artificium. Veruntamen perplacet morum comitas cum mundissimo sermonis genere. (Lectu dignissimae Epp. II, 17. III, 5, 6. V, 6. VI, 16, 20. VII, 27. VIII, 8. cet. — De *L. Senecae* epistolis v. §. 60.)

Ed. pr. epp. l. I-VIII. Lud. Carbon. (Ven.) 1471. f. X ll. Ven. Ald. 1508. (1518.) *G. Corte* ed. *Longol.* Amst. 1734. 4. Epp. et P. *G. E. Gierig* e. n. Lps. 1806. II. 8. c. nott. Gesn. Heusing. Ernest. *G. H. Schaefer.* Lps. 1805. 8. *F. N. Titze.* e. n. Lps. 1823. 8. (* ed. comp. *Lünemann.* Gott. 1819. 8.) Pan. *Chr. G. Schwarz.* Norimb. 1746. 4. *Gierig.* Lps. 1796. 8. et in Epp. ed. II. Epp. germ. v. *J. A. Schaefer.* Erl. 1801. II. 8. (Masson, Gierig de vit. P.; Held).

3. Philosophia.

§. 60.

Inde a Ciceronis tempore Romae valde increbuit *philosophiae* studium, praecipue Stoicae, in qua multi solatium quaerebant aut bona consilia excitabant in communi civitatis calamitate. Fuerunt autem plures, qui graece scriberent quam qui latine, propterea quod et magistrorum Graecorum superabat numerus. Non pauca poetae carminibus immiscuerunt, ut Persius, Lucanus; Stoicorum doctrinae pleniorem imaginem protulit *L. Annaeus Seneca,* M. filius. Is adolescens Diogenem Cynicum, Attalum Stoicum, alios audivit; quaestorem Messalina in Corsicam curavit exterminandum; auctore Agrippina redux factus Neronem in bonis litteris instituit, a quo divitiis cumulatus mortis denique rationem sibimet ipse jussus est eligere a. 65. (Tac. Ann. XIV, 52. ss.) Ab omni avaritiae dedecore etsi facile liberetur, non liberandus tamen est ea culpa, quam in ipsum jam Quintilianus non subtiliter magis quam juste contulit (X, 1, 125. ss.), corrupisse dicendi genus et omnibus vitiis fregisse. „Multae in eo claraeque sententiae, multa etiam morum gratia legenda; sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo perniciosissima, quod abundant dulcibus vitiis." Sed alioquin multas et magnas fuisse virtutes concedit, ingenium facile et copiosum, plurimum studii, multam rerum cognitionem, egregiam vitia insectandi facultatem. Summam ipsius philosophan-

di rationis continent *Epistolae ad Lucilium* CXXIV (cf. Gell. XII, 2.), quae materiem trahunt é vitae quotidianae casibus; praeterea inter optima distinguuntur *de ira* ll. III, *de providentia, de tranquillitate animi, de constantia sapientis*; minus animum afficiunt *de beneficiis* ll. VII, *de clementia, de brevitate vitae, de vita beata, de consolatione ad Helviam, de cons. ad Polybium, de otio* fragm. Liber Ἀποκολοκύντωσις inscriptus est *satira Menippea* in Claudium imperatorem, quem inter cucurbitas auctor fingit receptum. (De *Natural. quaest.* v. §. 61.).

M. et *L. Sen.* opp. ed. pr. Neap. 1475. f. c. nott. Muret. Erasm. Paris e. nvss. 1627. f. c. nott. Lips. *I. Fr. Gron.* al. e. nss. Amst. 1672. III. 8. *F. E. Ruhkopf.* Lps. 1797-1811. V. 8. (nond. abs.) Epp. ed. pr. s. 1. et a. (Argt. 1472?) *Io. Schweighaeuser.* Argt. 1809. II. 8. * epp. sel. in us. sch. *A. Pauly* Stuttg. 1825. 8. (* ed. comp. *Fr. Chr. Matthiae.* Tom. I. p. 1. 2. Fcf. 1808. 8.) * Sel. scr. *D. G. Olshausen.* Alt. 1807. sq. II. 8. Nat. quaestt. *G. D. Koeler.* Gotting. 1819. 8. (* ed. min. 1817.) Germ. v. epp. *Olshaus.* Alt. 1811. II. 8. Gall. opp. *la Grange* e. n. Par. 1819. VI. 12. (Klotzsch, Reinhardt de vit.; Iacobs in Nachtr. z. S. IV., de M. et L. S. poëtis).

4. Scientiae mathematicae et physicae.

§. 61.

Unum in arte *mechanica* et *hydraulica* novimus hujus aetatis scriptorem nobilem, *S. Jul. Frontinum,* Praefectum aquae ductibus, mort. 106, cujus *de aquis, quae in urbem influunt,* libellus, qui vulgo inscribitur *de aquaeductibus urbis Romae* ll. II, in suo genere praestans est. Non tralaticiam idem operam navavit rei militari in *Strategematicon* c. de sollertibus ducum Graecorum, Romanorum et aliorum in bello factis et dictis ll. III, quibus adjunxit quartum, ut exempla disciplinae militaris s. strategica sisteret. — *Rerum naturalium doctrinam* non eximie quidem ornavit, sed nonnullis tamen observationibus locupletavit *L. Seneca* in *Naturalium Quaestionum* ll. VII. *Naturae* autem *historiam* egregie tractavit *C. Plinius Secundus Major* Novocomensis (23-79), qui Claudio imperante in Germania stipendia fecit, sub illius successoribus varia subiit munera publica, postremum praefuit classi Misenensi.

Is quum esset insigni industria et perscrutandi cupidine, cujus rei testimonium exhibent tum *Historiae Naturalis* ll. XXXVII servati, tum quae sororis filius indicit (Epp. III, 5.), eo usque fervoris processit, ut incendio Vesuvii irruente vitae tutandae curam abjiciens mortem non effugeret (Plin. l. c. VI, 16. cll. 20.). Vastum illud opus, e plus duobus millibus ll. incredibili studio consertum, amplos complectitur commentarios de rebus ex cosmographia, geographia, agricultura, medicina, metallorum, picturae et sculpturae scientia desumtis, in quibus varia sunt collecta et explicata, quibus illustrantur antiquitatis partes reconditiores, ut historiae artium in effectu positarum. In tam late patente litterarum et artium campo tamque copioso doctrinae apparatu quod non raro desideratur judicium acrius, meditationis ope magis temperatum, nemo non facile ignoscet, qui quale sit, quod lecturis offeratur, expenderit, quemque non fugerit, Plinium interpretationibus auctorum interdum corruptis esse usum. Oratio artificiosius structa et obscuritate laborans. Librorum *de bellis Germaniae* (XX) a Tacito laudatorum (Ann. I, 69.) jacturam aegre ferimus. — De *re rustica* libros XII elaboravit *L. Junius Moderatus Columella* Gaditanus (c. 44); librum decimum numeris poëticis scripsit, ut Georgici Virgiliani expleret partes omissas; accedit *de arborum cultura* liber singularis.

Front. de aquaed. ed. *Io. Polenus*. Pad. 1722. 4. *G. C. Adler*. Lps. et Alt. 1792. 8. Strat. *Oudendorp*. e. n. L. B. 1779. 8. — *Plin.* ed. pr. Ven. 1469. f. c. nott. *I. Fr. Gronov* (cur. Sohrevel.) L. B. 1669. III. 8. *Io. Harduin*. e. n. Par. 1723. III. f. (*I. G. Franz*. Lps. 1778-91. X. 8.) * exc. e lib. XXXIV in us. sch. *E. Fr. Wüstemann*. Goth. 1824. 8. (Torre de Rezzonico de vit.; Salmasii Exercitatt. Plinian. Par. 1629. II. f. Traj. 1689. II. f.). — *Colum.* in *Gesn.* et *Schneid.* scriptt. rei rust.

5. Juris prudentia.

§. 62.

Sub imperatoribus juris peritorum auctoritas ita sensim succrevit, ut non solum ad amplos honores ascenderent, sed etiam veniam impetrarent, Romae inque provinciis scholas instituendi. Qui quum ab Octaviano facultate respondendi essent honorati, in duas se disjun-

xerunt partes, *Proculianorum*, a *Sempr. Proculo* (c. 15 p. C.), *Antistii Labeonis* discipulo, nomen ducentium, qui philosophicam juris definitionem et deductionem praeferebant, et *Sabinianorum*, qui magistros venerabant *C. Atejum Capitonem* et *Masurium Sabinum* (15) et jure consultorum priorum sententiis se applicabant. Inde ab Hadriano Caesares plerumque consilio eorum utebantur, qui prudentes erant juris civilis. Praetorum edicta, s. jus honorarium, collecta sunt a *Salvio Juliano* (131) in *Edicto perpetuo*.

Ed. p. fgm. ed. *Abr., Wieling.* Franek. 1733. 4. (Haubold).

6. Grammatici.

§. 63.

Non praetereundi sunt virorum quorundam doctorum libri, qui aut antiquiorum scriptorum opera sunt commentati, aut linguae latinae causis et ratione diligentius explorandis non inutilem impenderunt curam. Ciceronis orationes quasdam commentario instruxit *Qu. Asconius Pedianus* e Patavino oriundus, Livio et Silio Italico familiaris (Sil. XII, 212. Quint. I, 7.) Neronis aetate. *Grammaticarum institutionum* ll. II, et Scholia in Virgilii Bucolica et Georgica tradita sunt a *M. Valerio Probo* Berytio c. 60 (Suet. de gr. 24.; de altero quodam Gell. IX, 9. XIII, 19.).

Asc. Ped. in Cic. edd. Manut. Gron. Graev. Schütz. al. — *Val. Pr.* Gr. inst. (et *Qu. Rhemnii Fannii Palaemonis* c. 50 de summa grammatica) in Grammaticae lat. auctt. cur. *El. Putsch.* Hannov. 1605. 4.

Aetas quarta.

Ab Antoninis usque ad interitum imperii occidentalis 138 — 476 p. Chr.

§. 64.

De litterarum occasu.

Antoninorum cura, in rebus imperii civilibus gubernandis admodum insignis ac salutaris, litterarum tamen detrimentum ne morari quidem potuit. Quid igitur mirum, si in civitate post illos obnoxia libidini imperatorum flagitiosorum eorumque barbarorum in omni intemperantia effusae cum moribus horrendum jam in modum perditis quidquid pessum dabatur humanitatis studii. Aliquamdiu quidem retinebatur eruditionis species quaedam, quum in provinciis quoque Antonini Pii cura variis in doctrinis adolescentes publice instituerentur; sed omnis qui primum exinde redundaverat fructus paulatim evanuit aucta socordiae voluptatisque peste. Theodosius M., in duas partes diviso regno Romano, nonnulla prohibens alia importavit, quae civitatem in majus discrimen adducerent. Illud saltem Romanorum regno saluti non fuit, quod natura Byzantinorum aversaretur ac repugnaret Romanae. Lingua denique in dies sui facta est dissimilior; qui enim potuit aliter, ubi barbarorum numerus paene adaequabat indigenarum numerum? Fuerunt tamen, qui arte imitandi veterum orationem quasi exstinctam multum proficerent (Petronius, Minucius, Panegyrici).

I. Poesis.

1. Carmen didacticum et bucolicum.

§. 65.

Non temere abjicienda sunt *M. Aurelii Olympii Nemesiani* Carthaginiensis (280) *Cynegetica* s. c. *de venatione ad Numerianum*, versibus satis lepidis confecta. Multi minoris pretii habetur *Festi Rufi Avieni*, interpretis Arati et Dionysii, (c. 400) fragmentum jambicum descriptionis orae maritimae a Gadibus ad Massiliam usque. Ita etiam *Cl. Rutilius Numatianus* Gallus vir consularis et praefectus urbis sub Honorio (417) in *Itinerario* descripsit iter Roma in Galliam factum versibus elegiacis, ll. II non integris. Nec ob orationem satis castam displicet *Lactantii* (§. 70.) carmen *de Phoenice*. (*Dionysius Cato.*) — *Idyllia* XI *Julii Calpurnii* Siculi (286) tantopere eminent venustate quadam, ut quidam conjicerent, compositas esse a Calpurnio quodam Serrano Claudii temporibus. Etiam *Decimi Magni Ausonii* Burdigalensis, Gratiani et Valentiniani II. praeceptoris, Cons. a. 379, supersunt XX Idyllia; omnium, quae cecinit, optimum est *Mosella*. (Epigrammata.)

Nemes. in Wernsd. Poet. I. c. Grat. F. v. §. 23. — *Avien.* fgm. Wernsd. V. p. 2. IV. metaphras. Arat. in edd. Bühl. et Matth. (Ukert Geogr. vet.). — *Rutil. Num.* c. nott. Cortii Graev. al. *I. Sig. Gruber.* Norimb. 1804. 8. Burmann Poet. m. II. Wernsd. V. p. 1. — *Lact.* de ph. *Ad. Martini.* Lunaeb. 1825. 8. — *Dion. Caton.* distich. de morib. * *Tzschucke.* Lps. 1790. 12. (* c. Phaedr. Avian. et P. Syro *Lünemann.* Gott. 1824. 8.). — *Calp.* ed. *Ch. D. Beck.* Lps. 1803. 8. Burm. I. Wernsd. II. lat. et german. *G. E. Klausen.* Alton. 1807. 8. (Sarpe Quaestt.). — *Auson.* poem. *El. Vinet.* e. n. 1590. (1604.) 4. Wernsd. I. II. Mos. lat. germ. *Lud. Tross.* e. n. Hamm. 1824. 8. (Heyne opusc.)

2. Carmen epicum. Fabulae. Hymni. Satira Menippea.

§. 66.

Quum in saeculo, ubi longe plurima exercitationis poeticae pars in imitando consistit, vel sola mediocritas quaedam singularis in laudem sit vertenda, *Cl. Clau-*

diani Alexandrini c. 395, carmen *de raptu Proserpinae* (ll. III), *Gigantomachiae* fragmentum aliaque minora laude sua privare nolumus. — *Fl. Aviani* cujusdam (c. 400) exstant *fabulae* XLII metro elegiaco constrictae, quibus Phaedrinas non possumus non praeferre. — Majore posteriores quidam inflantur spiritu fidei christianae praeceptis imbuti. Unius Dei laudem et gloriam, vitae coelestis sanctitatem, martyrum praemia, alia ejusmodi, *hymnis* celebrant poetae christiani, a dictione quidem non magnopere commendandis sed uberibus pio animi sensu (*Aur. Prudentius Clemens* c. 400, *Coelius Sedulius* c. 450). — Medio inter orationem vinctam et solutam loco ponitur *T. Petronii Satiricon* l., qui pertinet ad *Satirae Menippeae* genus. Diu multumque dubitatum est a viris doctis, num hic sit Petronius ille Massiliensis, quem Nero fecit elegantiae *arbitrum*, postea autem, invidia commotus, mortem jussit obire venis incisis a. 66 (Tac. Ann. XVI, 18, 19.). Nos quidem cum iis faciendum putamus, qui nostrum ablegant ad Antonini tempora (cf. Wyttenb. in Bibl. cr. II, 1. p. 84.). Modo numerose ingrediens modo liberis pedibus, morum, qui tum erant inter plebem pervulgati, imaginem effingit nunc speciose ac lepide expressam nunc turpius nudatam haud vulgari cum sermonis candore. Cujus operis partes nonnullae interitum non fugerunt. (Subdita nonnulla sumto Petronii nomine a Nodotio et Lallemando s. Marchena Gallis).

Claudian. ed. *Nic. Heins.* L. B. 1650. 12. c. n. v. *P. Burmann.* II. Amst. 1760. 4. *G. L. Koenig.* Gott. 1808. 8. (non. abs.). — *Av.* rec. *H. Cannegieter.* Amst. 1731. 8. **Tzschucke.* Lps. 1790. 12. (*ed. comp. *Lünem.* c. Phaedr.) — *Prud.* rec. *Chph. Cellar.* Hal. 1703. (1739.) 8. — *Coel. Sed.* opp. ed. *Faust. Arevald.* Rom. 1794. 4. — *Petr.* ill. *P. Burmann* ed. n. cur. *C. Burm.* L. B. 1743. 4. *C. G. Anton.* Lps. 1781. 8. carm. de b. civ. s. de mutat. reip. Rom. in Wernsd. Poet. m. III., al. IV. V. VI.

II. Prosa oratio.

1. Historia et Geographia.

§. 67.

Justinus. Aurelius Victor. Eutropius. Rufus.

Post Tacitum et Suetonium omnem libere loquendi voluntatem vel facultatem cuilibet res gestas exponenti

plane, praeciderat angor cordis vim tyrannorum timentis. Ita factum videtur, ut historia magis legeretur quam scriberetur. Plurimi autem scriptorum ea, quae priores prolixius enarraverunt, brevi ponunt in conspectu; ita *Justinus* (c. 160) e Trogi Pompeji (§. 39.) historia universa excerpsit *Historiarum Philippic.* ll. XLIV, in quibus haud pauca immutavit et aliter digessit, alias tenuitati, alias ubertati nimis studens; *S. Aurelius Victor* Afer, Juliani imp. amicus, praefectus urbi sub Theodosio aliorum scrinia in ll. compilavit *de origine gentis Rom.*, *de viris illustr. inde a regibus Albanis usque ad Cleopatram*, *de Caesaribus* ab Augusto usque ad Constantium (ex quo commentariolo facta est epitome ab ignoto quodam etiamnum exstans *de vita et moribus imp. Rom.*); *Fl. Eutropius*, Rhetor ab epistolis Constantino M., Asiae Proconsul 371, Valentis jussu excudit *breviarium Romanae historiae* ll. X ab u. c. usque ad mortem Joviani, *Sextus Rufus* concinnavit *breviarium de victoriis ac provinciis pop. R. ad Valentinianum II. Aug.*

Iustin. c. n. var. *I. Ge. Graev.* e. n. L. B. 1701. 8. *Abr. Gronov.* ed. n. L. B. 1760. 8. c. nott. Graev. et I. Fr. Gron. *I. Fr. Fischer.* Lps. 1757. 8. Germ. v. *Kolbe.* Tom. I. Monach. 1824. 8. — *Aur. Vict.* c. n. var. *I. Arntzen.* Amst. et Ultr. 1733. 4. **G. Chr. Harless.* Erl. 1787. 8. *in us. sch. *I. H. Ch. Barby.* Berol. 1818. 8. (*ed. comp. Marb. 1817. 8.) — *Eutrop.* ed. *Henr. Verheyk.* L. B. 1762. (1793.) 8. *C. H. Tzschucke.* Lps. 1796. 1804. 8. *G. F. G. Grosse.* Hal. 1813. 8. *Lps. 1816. (1825.) 8. *in us. sch. *Fr. Herrmann.* Lub. 1818. 8. (*edd. comp. *Seebode.* ed. n. Hann. 1824. 8. Lps. 1821. 8. Brunsv. 1821. 8. cet.; *Paeanii* metaphras. graec. pr. ed. *Fr. Sylburg.* in Scriptt. Hist. Rom. Min. Tom. III.). — *Ruf.* br. in Eutr. Verheyk.; (**Tzschucke.*) Lps. 1793. 12. **G. Münnich.* Hann. 1815. 8. de region. urb. libell. *Münnich.* Hann. 1815. 8.

§. 68.

Scriptores Hist. Aug. Ammian. Marcellin. Orosius.

Scriptores VI *Historiae Augustae* (*Aelius Spartianus*, *Vulcatius Gallicanus*, *Trebellius Pollio*, *Flav. Vopiscus Aelius*, *Lampridius*, *Julius Capitolinus*, omnes c. 290 - 330), qui singulorum imperatorum vitas a Hadriano usque ad Valerianum (— 284) adumbrarunt, omissis Philippis et Deciis, non ab ingenio seu sollertia habent pretium, sed ab inopia nostra, quippe qui de-

stituti sumus ab alio quovis subsidio sciendi, quae illi exponunt. *Rerum gestarum a Nerva usque ad mortem Valentis* ll. XXXI, quorum XIII priores aevum non tulerunt, in lucem edidit *Ammianus Marcellinus*, natione Graecus Antiochenus (379). Hunc scriptorem ob rerum explicationem religiosam, certis documentis confirmatam, et ob multa ingeniose subtiliterque judicata et pronuntiata optimum facile hujus aetatis scriptorem censeres, nisi tanta esset dispositionis perturbatio sermonisque barbaries. Ultimo loco nec eo valde honorifico sit *Paulus Orosius*, Presbyter Hispanus c. 417, qui a Vandalis pulsus Africam, deinde Palaestinam concessit et reliquit ll. VII *historiarum adv. paganos* s. universalium, undique inepte corrasarum.

Scr. H. Aug. c. nott. Casaub. Salmas. (Par. 1623. f.) Gruter. L. B. 1671. II. 8. (Heyne in Matthiae Miscell. phil. I. 2.). — *Amm. Marc.* c. n. Lindenbrog, Valesior., Ic. Gron. al. *I. A Wagner.* abs. *C. G. A. Erfurdt.* Lps. 1808. III. 8. — *Oros.* ed. *Sig. Havercamp.* e. n. L. B. 1767. 4. Cf. *Fr. Sylburg.* Hist. Rom. Script. min. Tom. II.

§. 69.

Geographi.

Librorum geographicorum penuriam aegre compensant *Itineraria* Romanis relicta. Sunt ea quidem aut indices majorum urbium vel coloniarum, quo quis a certo quodam loco pervenire posset, ut *Itineraria duo Antonini*, aut tabulae in usum viatorum confectae vel viam cursorum publicorum monstrantes, quibus potissimum imperatores utebantur in expeditionibus. Ejus generis est *Tabula Peutingeriana*, transscripta ex uberiore quadam sub Severo (230) exarata.

It. Ant. in *P. Wesseling.* Vett. Rom. Itin. Amst. 1735. 4. *Tab. Peuting.* em. *Conr. Mannerti.* Lps. 1824. fol.

2. Theologia.

§. 70.

Christi praecepta divina, quae supremam facultatem et vim tam egregie comprobaverant, ut unum esse Deum eumque solum jam ab hominibus quibuscunque alta mente praeditis crederetur, anno autem 311 doctrina Christiana

na auctoritate et jussu Constantini M. tamquam verissima publice approbaretur, simul plures incenderant viros sapientes, ut praeclaram eorum indolem aut defenderent contra dissidentes aut singulari amore exponerent, plerumque philosophiam adhibentes fidei adjutricem (*Patres*). In his eruditione excellit *Q. Septim. Florens Tertullianus* Carthaginiensis (c. 200), pessimus idem Latinitatis auctor *), quum contra *L. Coelius Lactantius Firmianus* c. 320 tantam in *Divinarum Institutionum* ll. VII prodiderit orationis bene latinae, optimis auctoribus propriae, scientiam, ut virum talem vix crederes aetati extremae vindicandum. Jam de *Minucio*, *Arnobio*, aliis, nonnulla adjiceremus, nisi satius foret, in uno acquiescere, qui praeter omnes minime videtur silentio premendus, *Aurelium Augustinum* dico, Tagastinum Afrum, episcopum Hipponensem c. 396, virum ingenii facultate ac Platonicorum librorum studio conspicuum, qui tamen, quum viribus suis abuteretur more dialectico ad praecepta recondita, superstitiosa et abstrusa aequalibus inculcanda, auctor factus est Scholasticorum, quos dicunt, doctrinae. (*Confessiones*, *de civitate Dei l.*) — Restat, ut de viro loquamur, qui raro illis temporibus ac paene unico priscae honestatis sensu instructus ultimum Romanorum virtutis proposuit exemplum, qua re in oblivionem inducamur saeculi, quo vixit, de *Anicio Manlio Torquato Severino Boëthio*, Consule a. 510, qui licet Theodorico, regi suo, ab optimis consiliis, malevolorum calumnia carptus ejusdem Theodorici jussu in carcerem conjectus et securi est percussus a. 524. Gloriam suam is debet operi egregio *de consolatione philosophiae* (ll. V) oratione partim vincta partim soluta in carcere consignato.

Tert. opp. *I. I. Semler.* Hal. 1770-73. VI. 8. de pallio c. n. *Salmas.* L. B. 1756. 8. — *Lact.* I. D. c. n. Cellar. *I. L. Bünemann.* Lps. 1739. 8. *le Bruri* et *Dufresnoy.* Par. 1748. II. 4. — *Min. Felic.* Octavius s. dial. de verit. rel. chr. *I. Davis.* ed. n. Cant. 1712. 8. (Meier). — *Arnob.* Afr. adv. gent. ll. VII c. n. Salmas. al. *I. Cr. Orell.* Lps. 1816. II. 8. append. 1817. 8. — *August.* opp. Monach. ord. S. Bened. Par. 1679-1701. XI t. in VIII voll. f. Antv. 1700 ss. XII t. in IX v. f. — *Boeth.* de c. ph. *Helfrecht.* Cur. 1797. 8. (Heyne opusc. T. VI).

---

*) Cf. *Ruhnken.* praefat. ad Schell. lex. in Eloquentiae lat. exempl. ed. *A. Matthiae.* p. 407. sq.

3. Scientiae mathematicae et physicae.

§. 71.

In ipsis rebus ad geometriam spectantibus nil fere prodiit, quod scientiam valde ornaverit, nisi forte *Jul. Firmici Materni* Siculi, c. 330, *Matheseos s. de nativitatibus* ll. VIII propterea pretium aliquantum concesseris, quod astrologicas aequalium nugas denudaverint. — *Rei militari*, quantum calculis subductis licet, melius prospexerunt *Institutionum rei militaris Fl. Vegetii Renati*, c. 380, ll. V, qui etiam ll. *de arte veterinaria* auctor dicitur. — Plinii Majoris libri ad *naturae historiam* pertinentes a compluribus excerpti sunt, quorum nullus eminet judicio sano et incorrupto. — *Medicis*, ut Methodicorum doctrinam fuse et accurate intelligant, inprimis auxilio sunt *Coelii Aureliani* Numidi, qui quibus annis floruerit ignoramus, *de morbis tardis* ll. V, *de m. acutis* ll. III, Graecorum quorundam praecepta medica oblivione tegi non sinentes.

Firm. ed. *N. Pruckner*. Bas. 1533. f. — *Veg.* I. r. m. in Scriptt. r. m. rec. *Scriver.* et *Schwebel.* Norimb. 1767. 4. de a. vet. in Scr. rei rust. (§. 15.) — *Coel. Aur.* rec. *C. Amman* c. n. Almeloveen. et Lex. e. n. Amst. 1755. 4. (Triller).

4. Eloquentia. Epistolae.

§. 72.

Panegyrici, quorum latinitatem supra laudavimus (§. 64.), in illud cadunt tempus, ubi diebus natalibus vel triumphalibus vel alioquin festis praecipue adulandi causa gratulationes offerebantur imperatoribus Romanis et praeconia, per rhetores mercede conductos composita. Sunt autem illi *Cl. Mamertini* duo, *Eumenius*, *Nazarius*, *Optatian. Porphyrius*, *Ausonius* (§. 65.), *Drepanius*, vixeruntque tertio et quarto p. Chr. saeculo. — *Epistolas* Plinianarum imitatione scribendi amor, qui ceperat *Qu. Aurelium Symmachum* Praef. urbi a. 384, non inurbanam nec inficetam comitatus est indolem, quamquam ad inconcinnum trahens sermonis genus virum Christianis infensum.

Paneg. rec. *H. I. Arntzen.* Ultraj. 1790. II. 4. (Heyne opusc. VI.). — *Symm.* epp. rec. *Ph. Pareus.* ed. nvss. Frcf.

1651. 8. VIII oratt. partt. pr. ed. *A. Majus*. Mediol. 1815. (Fcf. 1816.) 8. (Heyne l. c.)

5. Jurisprudentia.

§. 73.

Nil sane Jureconsultis nostris exoptatius evenire potuit, quam repertos esse (1816) a B. G. Niebuhrio in codice Veronensi rescripto *Gaji* s. *Caii* (c. 160) *Institutionum commentarios* IV, opus ad cognoscendum Jus Romanorum civile plane necessarium, cujus inventi tantum est pretium, ut dici vix possit, quanti eo errores adhuc circumlati evanuerint. Lacunis quidem iisque sat multis non caret. Antea tamen epitome tantum exstabat Alarici jussu facta. Praeterea multorum in manibus teruntur *Dom. Ulpiani* (220) fragmenta. Inde a Severo autem Responsorum in locum succedebant *Constitutiones Imperatorum*, quae ne perirent collectae sunt in *Codice Theodosiano* (434-38) et in libris Justinianeis (cf. Litt. Gr. §. 112.).

Gaii Instit. e cod. iter. coll. sec. ed. *I. L. Fr. Goeschen*. Berol. 1824. 8. epit. rec. Schulting. ed. *C. G. Haubold*. Lps. 1792. 8. (Savigny, Hugo, Schrader, Unterholzner, Elvers). — *Ulp.* frgm. *G. Hugo* ed. nvss. Gott. 1814. *C. Bucher*. Erlang. 1819. 8. — *Cod. Theod.* frgm. *C. Fr. Wenck*. Lps. 1825. 8. gen. frgm. pr. ed. *W. F. Clossius*. Tub. 1824. 8. (*Hugon.* Ius civ. antejustinian. Vol. I. in II. tom. Berol. 1805. 15. 8.)

6. Litteratores. Grammatici.

§. 74.

Initio hujus aetatis, sub Antonino Pio, vixit *A. Gellius*, natione Romanus, sed qui aliquamdiu in Attica est commoratus, vir omni eruditionis genere refertus, at cujus magna est dicendi siccitas et loquendi incuria. Utilissimae tamen *Noctibus Atticis* (ll. XX, deperditus est sextus cum octavi initio) singulare pretium imposuerunt rerum ex historia civitatis Rom., linguae scientia, antiquitatibus congestarum adumbrationes. Similia miscellarum observationum horrea constituerunt *Censorinus* (240) in libello *de die natali* et *Aur. Macrobius* (*Ambros. Theodos.*), vir Consularis c. 410 in *Saturnalibus conviviis* (et in Comm. in Cic. Somn. Sc. ll. II) et *L. Ampelius* in *libro memoriali*. — *Grammaticorum* satis

magnus suppetebat numerus, quorum quidam linguae latinae origines et causas tanta indagarunt opera, ut nobis illius rationem perscrutantibus nullo pacto sint viles habendi. Sub finem primi aut initio secundi p. Chr. saec. videtur vixisse *Terentianus Maurus*, qui versibus disseruit *de litteris*, *syllabis*, *pedibus* et *metris*. *M. Corn. Fronto* Cretensis, Cons. a. 144, causidicus Romanus, M. Aurelii et L. Veri praeceptor, sermone horrido et insulso scripsit *de vocum differentiis*, *orationes*, *epistolas*, *nugalia*. *Nonius Marcellus* c. 200, multas veterum reliquias servavit in l. *de proprietate sermonis*. Inclitus ille *Aelius Donatus. Major* (350), Terentii commentator; cujus est *de litteris*, *syllabis*, *pedibus et tonis ars s. editio prima*, *etiam de octo partibus orationis* disseruit. *S. Pompeji Festi* opus *de significatione verbor.* excerptum est e Verrio Flacco. (*Fl. Sosipater Charisius*, *Diomedes*, *P. Consentius*.) Maxima contigit fama *Prisciani* Caesareensis (c. 500) *Commentariorum grammaticor.* ll. XVIII, *de octo partt. or.* ll. XVI, *de construct.* ll. II, et operibus minoribus gramm. (De metris *Servius* [§. 21.] *Fl. Mallius Theodorus*, Cons. a. 399.).

Gell. cur. *I. Fr.* et *Iac. Gronov.* L. B. 1706. 4. (*I. L. Conradi.* Lps. 1762. II. 8.) — *Censorin.* c. n. Lindenbr. Scal. al. *Sig. Havercamp.* L. B. 1743. 8. — *Macr.* c. n. Iac. Gron. al. *I. C. Zeune.* Lps. 1774. 8. — *Amp.* c. Flor. Salmas. al. *ed. *Tzschucke.* Lps. 1793. 12. (*Stad. 1824. 8.) — *Ter. Maur.* rec. *Laur. Santen* abs. *Dn. I. a Lennep.* Traj. ad Rh. 1825. 4. — *Front.* de diff. v. in *Putsch.* Gr. (§. 63.) oratt. frgm. epp. al. e cod. rescr. pr. ed. *Aug. Majus.* Mediol. 1815. II. 8. (Fcf. 1816. 8.) reliqu. c. n. Buttm. Heind. Maj. Iacobs. Heinrich. *B. G. Niebuhr* Berol. 1816. 8. (Eichstaedt spec. et notit. Ien. 1816. f.) — *Non. Marc.* ed. *Ios. Mercer.* Par. 1614. 8. auct. Lps. 1826. 8. — *Donat.* in *Putsch.* Gr. *Pompeji* comment. art. Donati et commentariol. in Don. l. de barbar. et metaplasmo. Acc. ars gr. *Servii.* Pr. ed. *Fr. Lindemann.* Lps. 1820. 8. — *Fest.* ed. *Ios. Scaliger.* Par. 1575. 8. (Amst. 1699. 4.) — *Charis.* institutt. gr. ll. V *Diomed.* de oratione, partt. or. et vario rhetorum gen. ll. III et *Prisc.* comm. gr. al. in *Putsch.* Gr.; Prisc. opp. *A. Krehl.* Lps. 1819. 20. II. 8. opp. min. *Lindemann.* L. B. 1818. 8. Dionys. Perieges. lat. redd. in *Wernsd.* P. M. V, 1. — *Cons.* de barbarism. et metapl. nunc pr. ed. (c. n. *Cramer. Buttm. Heinrich.*) Berol. 1817. 8. — *Serv.* Centimetrum corr. *Santen.* L. B. 1788. 8. — *Mall. Th.* de metr. *I. Fr. Heusinger.* ed. auct. L. B. 1766. 8.

7. Fabula Milesia.

§. 75.

L. Apulejus Madaurensis Afer c. 161, qui et Carthagine sacerdotium suscepit et in foro cum laude versatus est, Graecorum, inprimis Lucii cujusdam Patrensis, exemplo comprobato effinxit *Metamorphoseon* s. *de asino aureo* ll. XI, fabulam Milesiam, perstricturus aequalium intemperantiam, credulitatem et vanam superstitionem. In quibusdam supra mediocritatem ascendens ornamentis et facetiis non caret (ut in fabula Psyches), utitur tamen scribendi ratione ex obsoletae et contortae linguae pannis quasi consuta. (Praeter illam fabulam inscribuntur illi *de habitud. doctrinar.* s. philosophia Platonica, *de deo Socratis* l., *Florida* s. oratt. excerpta al.).

Opp. ed. *G. Elmenhorst.* Fcf. 1621. 8. (Althg. 1778. II. 8.) Metam. rec. *Fr. Oudendorp* c. praef. Ruhnk. L. B. 1786. 1822. III. tom. 4. Germ. v. *A. Rode.* Berol. 1790. II. 8.

Tabulae historicae pro temporum serie institutae.

Ann. a. Chr.	Olymp-piad.	Res gestae.	Litterae Graecae.	Litterae Romanae.
1800		Pelasgi. Inachus.	Aetas prima.	
1550		Cecrops. Danaus. Cadmus. Pelops.	Litterae (a Cadmo?) inventae.	
1500		Hellen. Hellenes. Dorus. Xuthus. Aeolus.		
1400		Achaeus. Ion. Pelasgi et Tyrrheni Italiam immigrantes.		
1300		Evandrus.	Minos II. Oracula.	
1250		Argonautae.	Primi Thraciae vates. Orpheus. Musaeus. Linus. Pamphus. Thamyris. Amphion. Eumolpus.	
1184		Trojae excidium. Aeneas.		
1104		Reditus Heraclidarum. (Dores).		
1050		Iones in Asia. Magna Graecia.		
1000		Respublicae Graecae.	VatesIonum. *Homerus*. Homeridae.	
950			Poetae cyclici. Vates Boeotiae. *Hesiodus*.	
888		Lycurgus.	Rhapsodi.	
776	1,1	Olympiades.		
754	6,3	Roma a Romulo condita.		Aetas prima.
715	16,2	Numa Pompilius.	*Archilochus*. *Callinus*.	Libri Numae. Saliorum Axamenta (39 ab urbe).

Ann. a. Chr.	Olympiad.	Res gestae.	Litterae Graecae.	Litterae Romanae.
668	28,1	Bellum secundum Messenicum finitum.	Terpander. Alcman. Tyrtaeus.	
660	30,1	Zaleucus. Charondas.	Simonides Amorg.	
624	39,1	Dracon.	Arion. Septem Sapientes ← Ol. 57.	
600	45,1		*Alcaeus. Sappho.* Melinna. — *Thales.* Epimenides. Anacharsis.	
594	46,3	Solon.	Mimnermus. *Aesopus.*	
560	54,4	Pisistratus. Servius Tullius. Phalaris.	*Thespis. Susarion.* Anaximander. Anaximenes. Stesichorus.	
548	58,1		Theognis. Phocylides. Ibycus. *Logographi.* (Pherecydes Syr.) *Pythagoras.* Theano. Anacreon. Xenophanes.	514 (240) Leges collectae. Annales Pontificum.
			Aetas secunda.	
510	67,3	Hippias et Tarquinius Sup. pulsi. Consules.	Melanippides. Lasus. Simonides Ceus. - Choerilus Ath. Phrynichus. Hipponax. Ananius. Heraclitus.	(Pactum de mercatura cum Carthagine conventum.)
490	72,3	Pugna Marathonia.	*Pindarus. Aeschylus.* Pratinas. Corinna. Hanno (?)	
480	75,1	Xerxis expeditio. (Thermopylae, Artemisium, Salamis).	Ocellus Lucanus. Epicharmus. Phormis.	
469	77,4	Cimonis victoria apud Eurymedontem.	Bacchylides. *Socrates* natus. Parmenides. Zeno. Leucippus.	
452	82,3	Decemviri Rom.	*Sophocles.* Chionides. Magnes. *Herodotus.* Scylax(?) Anaxagoras. Democritus. Crates.	Leges XII tabular.

Ann. a. Chr.	Olympiad.	Res gestae.	Litterae Graecae.	Litterae Romanae.
444	84,1	Pericles.	*Euripides.* Meton. Empedocles. Pherecrates. Choerilus Sam.	
431	87,1	Bellum Peloponnesiacum.	*Hippocrates.* Sophistae: Gorgias, Protagoras, Hippias, Prodicus. Sophron.	
430	87,3		*Plato* natus. Cratinus, Eupolis. *Aristophanes.* *Thucydides.*	
416	90,4	Alcibiadis expeditio Sicula. Critias.	Antiphon. Andocides. Archytas. Timaeus.	
404	93,4	Athenae Lysandro traditae.	Antiphanes. Antisthenes. Aeschines Ath. Cebes. Philolaus. (Simon).	
400	94,4	Reditus Xenophontis.	*Xenophon.* Ctesias. Lysias. Antimachus.	
399	95,1		*Socrates* mortuus. Theopompus. Euclides. Aristippus. Isocrates. Isaeus. Alcidamas.	
362	104,3	Pugna apud Mantineam facta.	Eudoxus. Aeneas Tacticus. Philistus.	Primi histriones Romam ex Etruria acciti 361 (393 ab u.).
355	106,2	Primum bellum Phocicum.	*Demosthenes.* Aeschines. Lycurgus. Demades. Hyperides. Ephorus.	
347	108,2		*Plato* mortuus. Speusippus. Xenocrates Chalced. Crates. Polemo Phil.	
338	110,3	Philippus apud Chaeroneam victor.	Alexis. Diogenes Cyn.	
			Aetas tertia.	
335	111,2	Alexander.	Hieronymus Cardianus. Aristobulus. Pyrrho.	

Ann. a. Chr.	Olympiad.	Res gestae.	Litterae Graecae.	Litterae Romanae.
323	114,1	Alexandri mors.	*Theophrastus.* Aristoxenus. Dinarchus. Demetrius Phalereus.	
320	114,4	Ptolemaeus I. Soter. Bruchion. Museum.	*Menander.* Philemon. Apollodorus Com. Polemo. *Zeno* Cit. *Euclides.* Autolycus. Philetas. Simmias. Dosiadas. Rhinthon. Palaephatus.	
280	123,4	Concilium Achaeorum et Aetolorum.	*Epicurus. Arcesilaus.* Timaeus Sic. Ptolemaeus Lagi. Eudemus. Strato Lamps. Hermesianax. Phanocles. Callimachus. Lycophron. *Theocritus.* Bion. Moschus. Aratus. *Zenodotus.* Antigonus Caryst. Timon Phlias.	
264	129,1	Primum bellum Punicum.	Marmor Parium. Aristarchus Sam. Berosus. Manetho. Cleanthes.	260. Columna Duilii 490. ab u.
250	132,3	Aratus.	Apollonius Pergaeus.	
240	135,1		Chrysippus.	*Livius Andronicus,* primus dramatis Graeci interpres 514. ab u.
226	138,3	Cleomenes.	*Eratosthenes. Archimedes.* Ctesibius. *Apollonius Rhod.* Euphorion.	Naevius mort. 550 ab u.
218	140,4	Secundum bellum Punicum.	Philochorus.	Qu. Fabius Pictor 538.
|	|		Hero.	L. Cincius Alimentus 550.
201	145,1		Aristophanes Byz.	Cato Censor. *Ennius. Plautus* 553.
183	149,2	Eumenes II. Pergamenus.	Aristobulus Iud.	Caecilius Statius 571.

Ann. a. Chr.	Olympiad.	Res gestae.	Litterae Graecae.	Litterae Romanae
		Scipio Afr. Philopoemen mort.	*Polybius.*	P. Muc. Scaevola. Pacuvius.
168	153,1	Macedonia Romanorum provincia.	*Crates* Mall. *Aristarchus.*	Crates Romae docet 586. P. Scipio Aem.
161	154,4		Hipparchus. Aristobulus Iud. Nicander.	Rhetores Roma ejecti 593. *Terentius.* Laelius.
155	156,2		Academia recent. cond. Carneades.	Carneades, Critolaus, Diogenes Romam missi 599.
149	157,4	Tertium bellum Punicum.		Attius. M'. Manilius 605.
146	158,3	Corinthus et Carthago deletae.	Apollodorus. Agatharchides.	
133	161,4	Gracchi.	Panaetius.	Tib. et C. Gracchus 621.
			Sositheus.	Afranius. L. Piso. S. Sulp. Galba. Fannius. C. Lucilius.
102	169,3	Teutones ac Cimbri. Marius.	Meleager.	L. Licinius Crassus 652. M. Antonius.
92	172,1		Scymnus.	Rhetorum scholae iterum clausae 662.
88	173,1	Sulla - Mithridates.	Posidonius.	Pomponius. Novius 666. Lutatius Catulus.
	Ann. ab u. cond			Aetas secunda.
78	676	Sullae mors.	Asclepiades. Aenesidemus.	*Lucretius. Valerius Cato.* Ant. Gnipho. Ateius. Terentius Varro.
63	691	Cicero Consul. Catilina.	Dionysius Thrax.	*M. T. Cicero.* Qu. Cic. Hortensius. Atticus.
60	694	Triumviratus primus.		C. Iul. Caesar. Catullus. Calvus. Mattius.
46	708		Sosigenes.	Aera Sosigenis.
44	710	Caesar occisus.		*Sallustius. Corn. Nepos.*
43	711	Triumviratus secundus. Cicero interfectus.	Babrius (?).	Hirtius. Oppius. Dec. Laberius. Syrus. Varro Atacinus. Asinius Pollio.
31	723	Augustus. Bibliothecae.	Didymus. Conon. Parthenius.	*Virgilius.* Plotius Tucca.

p.Chr.	Ann. ab u.	Res gestae.	Litterae Graecae.	Litterae Romanae.
		Agrippa. Maecenas.		Cornelius Gallus. *Horatius.* Varius. T. Valgius Rufus. *Tibullus.* Cinna. Antonius Musa.
	753	Christus natus.	*Dionysius Halic.* *Diodorus Siculus.* Nicolaus Damasc. Dionysius Perieg. *Strabo.* Philippus Thessalon. (?)	*Ovidius. Propertius.* Pedo Albin. Sabinus. Gratius Fal. Macer. Manilius. Corn. Severus. Caes. Germanicus. *Livius. Trogus Pompejus.* *Vitruvius.* Hyginus. Verrius Fl. Nigidius. Hermogenes Tigellius. Porc. Latro. Fasti Capitolini, Praenestini. Monument. Ancyran. *Celsus.*
				Aetas tertia.
14	767	Augusti mors. Tiberius.	Lesbonax. Apollonius Sophista.	Phaedrus. *Vellejus Paterculus.* Valerius Maximus. Cremutius Cordus. Sabiniani. Proculiani. Rutilius Lupus (?).
41	794	Claudius.	Onosander. Philo Iudaeus. Dioscorides.	*Mela.* Columella.
54	807	Nero.	Musonius Rufus. Philosophi Gr. Romae exulati. Apollonius Tyanens.	*L. Ann. Seneca.* *Persius.* Lucanus. Silius Ital. Asconius Pedianus. M. Valerius Probus.
69	822	Vespasianus.	Iosephus. Aretaeus. Erotianus.	*Qu. Curtius Ruf.* *Plinius Major.* Valerius Flaccus.
81	834	Domitianus.	*Epictetus.* Andronicus Rh.	Pap. Statius. Turnus. *Iuvenalis.* Sulpicia. *Martialis.* *Quintilianus.*
98	851	Trajanus.	*Plutarchus.*	*Tacitus.*

Ann. p.Chr.	Ann. ab u.	Res gestae.	Litterae Graecae.	Litterae Romanae.
			Dio Chrysostomus. Archigenes. Aetas quarta.	Suetonius. Florus. Iulius Obsequens. Frontinus. *Plinius Secund. Min.*
117	870	Hadrianus.	Aristides. Quintilian. Polemo Rh. *Arrianus.* Appianus. Alcinous. Artemidorus. Hephaestion. Dracon Strat.	Salvius Iulian. Edictum perpetuum. Aetas quarta
138	891	T. Antoninus Pius.	Apollonius Dyscolus. Marinus Tyr. *Cl. Ptolemaeus.* Agathodaemon. Nicomachus Gerasen. Herodes Atticus. Antonin. Liberalis. Strato Sard. Apollon. Alexandr.	A. Gellius. Iustinus. M. Corn. Fronto. T. Petronius.
161	914	M. Aurelius Antoninus Philosophus.	M. Antoninus Imp. *Galenus.* Polyaenus. Ael. HerodianusGr. *Pausanias.* *Lucianus.* Aristides. Hermogenes. Iustinus Martyr. Irenaeus. Athenagoras. Tatianus.	L. Apulejus. Avianus. Dionysius Cato. *Gaius.*
181	934	Commodus.	Phrynichus. Pollux. Moeris. *Sextus Empiricus.* Maximus Tyrius. Philostrati. Diogen. Laert. Oppianus. Clemens Alexandr.	Nonius Marcellus Ulpianus. Tertullianus. M. Minucius Felix
222	965	Severus.	*Athenaeus.* Alexander Aphrod. *Dio Cassius.* Herodianus Hist. Aelianus.	Censorinus. Tabula Peuting. Coel. Aurelianus.(?

a. Chr.	Res gestae.	Litterae Graecae.	Litterae Romanae.
		Ammonius Saccas.	
		Plotinus.	
		Agathemer. Iulius Afric.	
		Origenes.	
270	Aurelianus.	*Longinus.*	Nemesian. Calpurnius.
		Porphyrius. Hierocles. Timaeus Soph.	Scriptores Historiae Augustae.
		Theodosius Grammat.	*Lactantius.* Panegyrici.
		Achilles Tat. Alciphron.	
306	Constantinus M.	Iamblichus.	Arnobius.
		Aphthonius. Eusebius.	
330	Byzantium.		Firmicus. Donat.
360	Iulianus.	Iulianus Imp.	S. Aurelius Victor.
		Libanius. Aristaenetus.	Itinerar. Antonini.
		Harpocration.	Eutropius. Ammian. Marc.
		Himerius. Sallustius.	S. Rufus. Ampelius.
		Diophantus.	Fl. Vegetius Renat.
		Oribasius.	
		Gregorius Naz. Basilius.	
379	Theodosius.	Ammonius. Theon Al.	Ausonius. Symmachus.
			Augustinus. Aemil. Probus.
391		Bibliotheca Alexandrinorum a Theophilo diruta.	Hieronymus.
395	Imperium Romanum dividitur.	Theon Al. Pappus.	*Claudianus.* Avienus.
		Hesychius Al. Eunapius.	Prudentius. Rutil. Numatian.
		Heliodor. Longus. Xenophon Ephes.	Festus. Mallius Theodor.
			Servius. Philargyr.
		Iohannes Chrysostom.	Macrobius. Charisius.
		Olympiodorus.	Diomedes. Orosius.
434		Zosimus.	Codex Theodosianus.
		Proclus Lyc.	Coel. Sedulius.
		Orion Theban.	Consentius.
476	Romulus Augustulus. Odoacer.	Stephanus Byz.	

Ann. a. Chr.	Res gestae.	Litterae Graecae.	Litterae Romanae.
		Chariton. Marinus Phil.	
		Quintus. Smyrn. Nonnus.	
		Coluthus. Tryphiodor.	Boethius. Priscianus.
		Eutocius. Damascius.	Maximianus Gallus.
		Aeneas Gaz. (Musaeus).	
		Iohannes Stobaeus.	
527	Iustinianus.	Novellae Constitut.	Corpus jur. Iustinian. (528—534).
		Theophilus. Thalelaeus.	
		Laurentius Lydus.	
		Scriptores Histor. Byz. Procopius.	
		Aetius.	
		Alexander Trallian.	
		Simplicius. Hermolaus. Iohannes Philoponus.	
		Paulus Silentiar.	
		Agathias. Theophylactus.	
800	Carolus M.	Syncellus. Malalas.	
870	Basilius.	Basilius. Photius.	
		Michael Psellus.	
		Etymologicum Gudian.	
886	Leo VI.	*Βασιλικαὶ διατάξεις.*	
912	Constantin. Porphyrogenneta.	Cephalas. Geoponica.	
973	Henricus IV.	Etymologic. Magn.	
		Suidas. Leo Diacon. Xiphilinus.	
1106	Henricus V.	*Zonaras.* Anna Comnema. Theodor. Prodrom.	
		Eustratius.	
1152	Fridericus I. Barbarossa.	Iohann et Isaac Tzetzae.	
		Gregorius Corinth.	
		Eustathius Episc.	
		Philemon.	
		Eumathius. Nicetas Eug.	
		Nicetas Choniates.	
1215	Fridericus II.	Nicephorus Blemmida.	

Ann. a. Chr.	Res gestae.	Litterae Graecae.	Litterae Romanae.
1320		Thomas Mag. Theodorus Metochita.	
1346	Carolus IV.	Max. Planudes.	
		Nicephorus Gregoras.	
		Iohannes Cantacuzen.	
		Constantin. Harmenopul.	
1400		Manuel Moschopul.	
		Theodor. Gaza.	
		Georg. Trapezunt.	
		Gemistus Plethon.	
1453	Constantinopolis a Turcis capta.	Graeci in Italiam migrantes: Constantinus Lascaris, Demetrius Chalcondylas al.	

Index Nominum.

Ar-

*

Gra-

Addenda et Corrigenda.

Pag. 3. §. 5. vers. 1. lege *tamquam*. Ita etiam p. 21. v. 2. p. 27. v. 5. p. 31. v. 13. et saep.
— — — — 29. fin. adde *Frc. Chph. Schlosseri* „Uebersicht der Gesch. d. alt. Welt" *Tom. I. pars* 1 - 3. (*Fcf. ad M.* 1826. 27.) *W. Wachsmuth* „Hellenische Alterthumskunde" *Tom. I.* (*Hal.* 1826. 8.)
— — §. 6. v. 1. pro *seriora* lege *posteriora*. Ita etiam p. 6. §. 9. v. 10. et p. 8. v. 4. *posterioris*.
— 7. v. 14. adde: *frgm. ll. Sibyll., quae ap. Lactant. reper. ed. C. L. Struve. Regiom.* 1817. 8.
— 8. v. 9. l. *quamquam*. Ita etiam p. 9. §. 14. v. 1. et saep.
— 9. v. 13. post *Lps.* 1824. 25. II. 4. adde: *Comm. ad Il. Tom. I. Lps.* 1827. 4.
— — §. 14. fin. adde: *hymn. Cer. gr. et germ. c. comm. I. Hr. Voss. Heidelb.* 1826. 8.
— 10. §. 16. v. 2. pro *serius* l. *post*.
— 11. v. ult. l. (§. 19.)
— 12. §. 18. v. 9. l. *Ol. LVIII.*
— 13. v. 5. et 6. l. *cavillante et deludente*.
— — v. 20. l. *Ol. LXX.*
— — v. 25. pro *Ananias* l. *Ananius*.
— — v. 27. pro *Ananiae* l. *Ananii* et post *An.* dele punctum.
— 14. v. 5. l. *pulchri*.
— 15. v. 5. l. *Ol. LXII.*
— 16. §. 23. v. 4. l. *primus*.
— 19. v. 10. l. (§. 40.)
— 21. v. 8. l. *fabularum*.

Pag. 22. §. 31. v. 7. ab ult. post ed. Wellauer. adde * *Lps. Weig.* 1827. 8.
— 25. v. 2. post *Alcest.* 1824. 8. adde *Ion.* 1827. 8.
— — §. 34. v. 14. adde *F. Gttli. Welcker de dr. s. in:* „Nachtrag zu der Schr. üb. die Aeschyl. Trilogie.“ *Fcf. ad M.* 1826. 8.
— 26. §. 37. v. 1. post *Aristophanes* adde: *c. Olymp.* LXXXVII-XCIII.
— 27. v. 5. l. *rem publicam.* Ita p. 35. §. 48. v. 2. et saepius.
— 28. §. 39. v. 9. post *Simonidis aequalis* adde *c. Ol. LXXVI.*
— — —— v. 8. ab ult. post *Att. IV.* adde: *Cf. Passov. in Encycl. Hal.*
— 29. §. 41. v. 8. post *natus* commate incidendum.
— 32. v. 16. post ed. Dindorf. adde * *Lps. Weig.* 1827. II. 8.
— 34. v. 29. dele: *seorsim* — *Gott.* 1823. 8.
— 35. §. 48. v. 15. Oratorum Aldi editio, quam recensui, non satis recta a me et in hac et in sequentibus paragraphis Schoellio duce est descripta, nec Stephaniana, quare brevitatis causa lectorem ablego ad *Schoenborn.* de Gorgia. p. 8.
— 38. v. 11. ab ult. pro: 1824-26. III. 8. scrib. 1824-27. IV. 8.
— 40. v. 9. l. (§. 40.) ibid. v. 10. *prior illa.*
— 42. §. 60. v. 5. l. (430-347).
— 46. §. 65. v. 9. l. (342-286).
— 49. v. 18. post ed. Schaef. adde: (* *ed. comp. Lps. Weig.* 1817. 8.)
— — §. 69. v. 11. l. (*de quo v.* §. 84.)
— 56. v. 13. ab ult. l. *Medica, et Aretaeum* (*c.* 64.)
— 57. v. 6. adde *Heronis Al. Definitiones geom. rec. C. F. Hasenbalg Strals.* 1826. 4.
— 58. v. 19. l. *Punico.*
— — v. ult. adde: *Excerpta e ll.* VI - XXXIX. *pr. ed. Ang. Majus in* Scriptor. vett. nova collectione e codd. Vatic. edit. (Rom. 1825 - 27. II. 4.). *Tom. I.*
— 60. v. 14. post *abs.* adde: *Fragm. e ll.* VII - X. *et* XXI-XL. *pr. ed. Maj. in Scr. vett. coll. Tom. II.*
— — §. 82. v. 17. pro 1826. II. 8. lege 1826. sq. VI. 8.
— 61. v. 19. post 1808. adde (*Lps.* 1827. * *ed. comp. ibid.*)
— — §. 84. v. 7. l. *expugnavit.* V. 12. l. (148 - 105.)
— 70. v. 1. l. *ceteri quatuor* pro *qu. reliqui.*
— — §. 94. v. 14. adde *Damascium.*
— 71. v. 7. adde: *Damasc. quaestt. de primis princip. pr. ed. Ios. Kopp. Fcf. M.* 1826. 8.
— 75. v. 27. post: III. 8. adde: *Fragm. libror. deperd. pr. ed. Majus in Scr. vett coll. Tom. II. Dion. exc. in Fr. Sylburg. Rom. Hist. Scr. min.* (*Fcf.* 1588 - 90. *III. f.*) *Tom. III.*, qui cont. Fast. Gr. et Rom., Eutrop. c. Paean., Herodian., Zosim., Iuliani Caes., Olympiod. eclog., Exc. e Suida.

Pag. 76. v. 1. ab ult. post 8. adde: *gr. et l. c. nott. Has. Creuz. al.* G u i l. R o e t h e r. *Darmst.* 1827. 8.
— 77. §. 103. pro: 5. *Geographia.* l. 4. *Geogr.* et pari modo numeri §§. 105. 107. 111. 112. sunt corrigendi.
— 78. v. 12. post 1826. adde: II. 1827.
— 81. v. 9. post *fasc.* I. adde: *contra Demosth. Leptin. pr. ed.* M a i *in Scr. vett. nov. coll. Tom. I.*
— — §. 108. v. 13. pro *substituta* l. *substructa.*
— 85. §. 112. v. 12. l. διατάξεις.
— 92. §. 12. v. 1. l. *Terentium.*
— 95. v. 2. pro *Uuspopma* l. *Aus. Popma.*
— 97. §. 18. v. 17. pro *lectio*, *Graecorum* l. *Graecorum lectio*,
— 98. §. 19. v. 32. post 1790. 12. adde: **ed. comp.* L ü n e m a n n. *c. Phaedr.*
— 100. v. 9. pro *Ciris Copa* l. *Ciris*, *Copa.* §. 22. v. 5. l. *causas.*
— — v. 3. ab ult. post *frigidis* del. comma.
— 102. v. 1. l. *cuidam.* §. 24. v. 11. l. *Veronensi.*
— 103. v. 3. l. *elegiacis.*
— 103. v. 21. post: 1783. 8. adde: *et in complur. Ovidii edd.* (*Baumg. Cr.* III.) *Eleg. ad Messal. ed.* G. P h. E b. W a g n e r *Lips.* 1816. 8.
— — §. 30. v. 10. l. *docere.*
— 109. v. 12. ab. ult. pro *inductus consortionem* l. *cons. ind.*
— — v. ult. pro *grande* l. *amplum.*
— 111. §. 33. v. 15. l. *Tusculanarum.* v. 24. l. *librorum.*
— 113. v. 18. post: 1823. adde: *c. somn. Scip.*
— 115. v. 12. pro *legit* l. *legere potest.*
— 116. §. 37. v. 8. pro XV, 18. l. XV, 28.
— 119. v. ult. post *medici* del. comma.
— 121. §. 42. v. 1. pro *amor*, *et Romae* l. *amor*, *Romae et.*
— 136. §. 60. v. 1. l. *increbruit.*